



ANDOVER-HARVARD LIBRARY
AH 5UUV .


HIERONYMUS
ANDOVER-HARVARD
THEOLOGICAL LIBRARY

S. T.

Herr Etatsraad Werlauff R. af D.

ærbødigst

fra

Forfatteren.

Brev fra Rattramnus til Rimbertus presbyter de cyno-
cephalis (Masson) Hist. critique de la république des
lettres VII p. 188.

DE

REMBERTO,

ARCHIEPISCOPO HAMBURGO-BREMENSI.

COMMENTATIO,

QUAM

AD HONORES MAGISTERII ARTIUM
RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT PUBLICEQUE DEFENDET

PETR. FRED. ADOLPH. HAMMERICH,
CANDIDATUS THEOLOGIÆ;

RESPONDENTE FRATRE

MARTINO JOHANNE HAMMERICH,
CANDIDATO THEOLOGIÆ.

DIE *XVI* JANUARII, HORA & LOCO SOLITO.

HAFNIÆ MDCCCXXXIV.

TYPIS EXCUDEBANT *BIANCO LUNO & SCHNEIDER.*

Ordo philosophorum specimen hoc dignum censet, quod pro gradu Magisterii rite obtinendo publico examini subjiciatur.

Hafniæ d. 30. Novemb. 1833.

H. C. Örsted,
h. a. Dec. Fac. Phil.

Argumentum.

Proelio Braavallensi ante medium seculum octavum commisso, omnia in regnis septentrionalibus commutata sunt. In eo enim proelio etiamtum ardor et animus Scandinaviæ veteris se ostendit, ita in oratione Sigurdi Ringi apud Saxonem, quæ, omnes Scandinavos pro uno habens populo, neque Danos, neque Svecos, neque Norvegos, solummodo Slavos et nationes meridionales tanquam homines ignavos et imbecilles vituperat, de quibus victoriam reportare Scandinavis haud esset difficile; sed, ubi Odinus ipsum filium suum Haraldum, regem Daniæ Sveciæque, heroem totius septentrionis, quem educaverat et amaverat, deserit et occidit, narratio mythica de dissidiis inter deos et homines ortis, adnuere videtur, pristinam fidem cum pristino animo abolitam esse[1]). Quorum quod remansit, non domi sed in exteros vim suam exseruit; nam eo tempore, fortasse non diu ante, fortasse non diu post, expeditiones

[1]) Saxo Gramm. ed. Steph. pag. 145—147.

illæ magnæ Normannicæ inceperunt, de quibus annales Anglorum, Franco-Gallorum, Germanorum satis lamentabiliter verba faciunt [1]). Quum vero fortissimus quisque et excellentissimus de terra migraret, necesse erat, ut hic fere omnia, quæ etiamnum restarent, vestigia animi altioris sensim, sensimque evanescerent. Et, ut de Dania et Svecia, non de Norvegia, ubi res se aliter habent, verba faciamus, idem populus, qui mythos procreaverat Eddicos, in quibus philosophia et poesis sublimis unicuique se offert, nunc poe-

---

1) Saxo ed. Steph. 139 narrat de expeditione adversus Anglo-Saxones Nordhumbricos sub Haraldo Hildetand, unde rex juvenes regionis hujus bellicosissimos secum in Daniam reduxit, inter quos Orm Anglicum, & quod in catalogo heroum Braavallensium (apud Saxonem ed. Steph. 143 & in Sögubrot, fornaldar sögur 1, 379 Ormr Enski) a viro ill. P. E. Müllero. (Om Troværdigheden af Saxos og Snorres Kilder 114 sq.) tanquam genuino vindicato, locum obtinuit, cum relatione Saxonis videtur facere. Chronicon Saxonicum (Ed. Ingramii London 1823 pag. 78) ad annum 787 tradit, tres naves, omnium Danorum primas, Angliam petiise, &, præda in oris facta, præfectum ibi occidisse, at relationes vetustæ (apud Twysden hist. angl. scriptt. 2253) ad annum 783 Danos novunt, insulam Thanet diripientes, immo Snorro Sturleson (ed. Holmensis 1, 55) jam Ivarum Vidfadme tanquam principem partis quintæ Angliæ (Nordhumbriæ) laudat. Quæ vero vestigia piratarum septentrionalium ante hoc tempus, ita jam seculo sexto (apud Aimonium de gestis Francorum liber 2, cap. 2; Bouquet 2, 187 & 555) occurrunt, ad excursionem Normannicam, proprie sic dictam, non pertinent.

mata Norvegico-Islandica, imaginibus turgidis et inanibus abundantia, ita amabat, ut, qui ea canebant, maximo haberentur honore et a regibus et a populo, donec omnes reliquiæ paganismi exstinctæ essent.

Nullum igitur tempus erat, quo magis regiones septentrionales ideis indigerent novis, quibus vita regeneraretur, quam hoc. Sed jam via his parata erat; ad finem usque Daniæ religio Christiana penetraverat. — Nunciatio hujus, excursiones piraticæ et hostiles, et quod cum his conjunctum erat, incrementum potestatis regiæ, quum debiliores illi homines, qvi domi sedebant, nihil huic objicere valerent, notas efficiunt characteristicas periodi, ex medio seculo octavo ad seculum undecimum durantis.

At haud parvis difficultatibus laborat historia partis prioris hujus ævi, seculorum octavi et inprimis noni, peculiaribus quidem ob paucitatem fontium, non illis solis, quibus semper laborat diluculum veræ historiæ, quum ab altera parte per se pateat, homines illis temporibus tam sibi conscios factos esse, ut mythi magis magisque evanescerent, ab altera vero, eosdem nondum eo usque progressos esse, ut mythi omnino aufugissent; hujus rei exemplum affero historiam Regnari Lodbrok. — Fontes paucos nobis asservatos esse nuper dixi, quod certe admodum mirandum

est; quum enim ante hoc tempus mythologia et historia mythica inprimis per Eddas et Saxonem nobis adsint, longe luculentiores, quam quas ulla recentioris Europæ natio præ se fert, quum post hoc tempus per Snorronem, Saxonem, Islandos verior prodeat historia, pulchrius eadem et uberius descripta quam antiqua historia plurimorum populorum, de seculo nono pauca modo tradunt relationes septentrionalium; mythica et vera historia utraque silet; sine vita et vigore exstant fere sola nomina regum, neque ea quidem semper ex fontibus, ubi multa spuria cum paucis veris mixta sunt, elicere possumus. Plura de septentrione Angli, Franco-Galli, Germani tradiderunt quam septentrionales ipsi, quod tamen cur ita se habeat, haud difficile est dictu; apud exteros enim, quod antea jam diximus, non domi majores nostri res fortiter gerebant; ad expeditiones plerique festinabant juvenes et viri, domi foeminæ et senes manebant, hos vero nihil, quod admiratione et memoria dignum esset, patrasse, per se patet. Cum hominibus ergo, qui historica patrabant, historia ipsa, nobis relictis, ad peregrinos exsulabat. Studium præterea religionis Christianæ propagandæ apostolos hujus ad regiones nostras ducebat, quibus, ut exemplum nominem, documentum optimum, vitam Ansgarii, debemus.

Jam nobis, documenta istius ævi perlustrantibus, quoniam quæ supersunt de seculi noni parte posteriore non, quantum nos certe scimus, illi usui fuerunt litteris, qui fas erat, operæ pretium visum est, aliquot illorum, quæ de Remberto agunt archiepiscopo Bremensi, et studio ejus religionem propagandi, retractare, et historiam viri exinde eruere. Nam, et si ad crisin fontium respicimus, et, si ad historiam ex illis haustam, plura restant optanda. Ad crisin quidem a Langebekkio [1]), Mollero [2]), Staphorstio [3]), Bollando et Henschenio [4]) optima collecta sunt, sed interdum vitia irrepsisse videntur, neque omnia satis illustrata sunt; historiam Remberti illustrissimus Münterus [5]) optime tractavit, non vero, quod ex consilio libri ne fieri quidem potuit, satis luculenter, neque satis respectu habito ad tempus, quo archiepiscopus vixit. Itaque dum vita Ansgarii, inprimis per Kruse [6]), uberius tractata est, de vita Remberti hoc dicere nequimus. — Quare nobis hæc suscipientibus, necessarium erat et historiam narrare et, etiamsi difficillimum esset, crisin ad-

1) Scriptores rerum Danic. TT. I, II et V.
2) Cimbria litterata T. III.
3) Hamburgische Kirchengeschichte T. 1, B. 1.
4) Acta sanctorum T. 1 ad Februar.
5) Kirchengeschichte von Dänemark u. Norwegen 1 Th.
6) St. Anschar von Kruse.

dere, ibi saltem, ubi antecessores sive omiserunt, sive errarunt, nam ubi vera nobis tradere visi sunt, libros eorum solummodo citavimus. Utinam incepto non nimis impares vires fuerint!

De fontibus, quibus ad vitam Remberti cognoscendam usi sumus.

De fontibus, qui etiamnum nobis adsunt, inquirentes, non possumus, quin cum ill. Müntero [1]) conqueramur, talem vitæ descriptionem, qualem Ansgarii per Rembertum, omnino desiderari; quod eo magis deplorandum est, quoniam ceteri istius ævi scriptores modo obiter rem nostram tangunt, neque, Adamo Bremensi solo excepto, uberius quid nobis tradunt.

Exstat liber, inscriptus: "vita sancti Remberti", quem sæpius in narratione sua Adamus Bremensis citat, et, quamquam non defuerunt, qui dubia contra illum moverent [2]), nec rationes externæ, nec internæ cum his faciunt; ex citationibus nimirum Adami Bremensis, atque ex illis, quæ Adamus dolet, auctorem vitæ omisisse [3]),

---

1) Kirchengeschichte v. Dänemark u. Norw. 1, 326.

2) Ita Grundtvigius Dannevirke 3, 106 & 107.

3) Ad. Br. 1, XXXV.

colligimus, eundem librum, qui nobis adest, etiam illi adfuisse, et nulle illi, qui aliunde rem cognitam haberet, de hoc dubia orta esse. Apparet quoque ex illo modo, quo liber noster archiepiscopatum Bremensem vindicat[1]), et ad Adalgarium provocat successorem Remberti, tanquam testem de veritate illorum, quæ de vita monastica narrantur, illum vere genuinum esse, et tempore mox post mortem Remberti, quo rixa de episcopatu renovaretur[2]), conscriptum. — De auctore vitæ Rembertianæ loquitur Adamus:[3]) "vita ejus a fratribus ejusdem coenobii (sc. Neo-Corbeiensis) ad nostros data," attamen plures suspicati sunt, Adalgarium, successorem Remberti, illam scripsisse[4]). Quum hi unum solummodo testem præ se ferre valeant, Henricum Wolterum[5]), illumque non satis fide dignum, argumentis ex analogia petitis rem suam agere conati sunt. Ut enim Ansgarius vitam scripsit antecessoris Wil-

---

1) SS. RR. DD. 2, 155.

2) SS. RR. DD. 2, 156 not. (y) cfr. Staphorstii Hamburgisch. Kirchengesch. 1, 71 & cap. 15 vitæ Rembertianæ de moniali etiamtum superstite.

3) Hist. eccl. 1, XXXII.

4) Cfr. Staphorst. 1, 250. Bononem sive Bavonem, qui monasterio Corbeiensi ex 893 ad 898 præfuit, editores AA. SS. ad Febr. 1, 556 hanc vitam scribendam curasse, conjiciunt.

5) Meibomii SS. RR. GG. 2, 26.

lehadi, ut Rembertus Ansgarii, ita, ex sententia illorum, Adalgarius Remberti; at non audiendi sunt, quoniam ea quæ SS. RR. DD. 2, 156 & 142 de Adalgario prædicantur, dum tanquam "insignis conversatione vir," "vir venerabilis," "vir insignis" celebratur, ad maximum gradum immodestiæ, non illi viro imputandum, adscenderent, si librum nostrum huic tribueremus auctori, quoniam præterea quæ eodem loco occurrunt, Adalgarium etiamnum hodie superesse, minime ita scribenda essent, si Adalgarius auctor fuisset, quoniam postremum auctoritas Adami Bremensis contra illos facit; quæ vero a Staphorstio loco citato ad sententiam defendendam prolata sunt, neminem non antea illis deditum convincere possunt. — Sed quo versus isti, quos, tanquam ab Adalgario compositos, supradicto loco Wolterus citat, referendi sunt? Non improbabile nobis videtur, illos ad paraphrasin vitæ Rembertianæ pertinere; utrum vero diu postea, ut Gvaldonis paraphrasis in vitam Ansgarianam, an mox ab ipso Adalgario confecti sint, in medio relinquendum est.

His ita monstratis, quæritur, quænam fides libro nostro sit habenda. Ut ipse testatur [1]), plu-

---

[1]) In prologo libri SS. RR. DD. 2, 126: "in quantum hæc comperimus, fideliter enarramus" & SS. RR. DD. 2, 148: "ex relatione narrantium".

rium ex narratione aliorum, fortasse præcipue Adalgarii, ad quem lectorem ablegat[1]), petita sunt; neque tamen hic fons unicus, quum ad epistolam ab ipso Remberto conscriptam[2]) recurrat, ad chartas pontificum Romanorum[3]), ad vitam Ansgarii[4]), denique ad auctorem, sive auctores ipsos[5]).

Contra fontes ergo nil dicendum est, sed eo magis contra rationem, qua fontibus hisce usus est; quod enim in prologo pollicetur, se, "quænam occasio pontificatus Remberti fuerit, quem institutorem habuerit, et qualiter ad hoc electus vixerit", enarraturum, huic certe nullo modo satisfecit. De conversione septentrionis, et illis, quæ ad hanc promovendam Rembertus egerit, quæ maximi fuissent momenti, si recte narraretur de vita Remberti post munus archiepiscopale acceptum, pauca admodum occurrunt: multum vero versatur biographus in miraculis, vita monastica,

---

1) SS. RR. DD. 2, 136.

2) SS. RR. DD. 2, 137—139.

3) SS. RR. DD. 2, 135.

4) SS. RR. DD. 2, 130, 132, 133.

5) SS. RR. DD. 2, 143: "quibusdam fidelibus suis secretius intimavit", si vero hanc phrasin cum Remberti in vita Ansgariana SS. RR. DD. 1, 431 comparaverimus, verisimilimum erit, auctorem de se ipso locutum esse; præterea SS. RR. DD. 2, 148: "quantum memoria et intellectu retinemus."

et ceteris, quæ ad sanctitatem clericorum istius seculi pertinerent, enarrandis; et, quod pluribus locis luce clarius, et ex toto tenore patet, auctor monstrare voluit, Rembertum nullo modo Ansgario fuisse inferiorem [1]), et in scribendi ratione vitam Ansgarianam imitari [2]). Utinam hanc etiam in rebus historicis enarrandis imitatus esset! — Ex omnibus igitur sequitur, rei historicæ, quam auctor noster tradit, fidem non denegandam esse, quoniam plerumque vitium est non in illis, quæ, tantum in modo, quo tradat; is vero haud difficulter a rebus ipsis distingvi potest.

De editionibus et codicibus non est, quod addamus, quoniam hæc jam a Langebekkio, AA. SS., Mollero [3]) abunde illustrata sunt; sufficiet, ut moneamus, editionem Langebekkianam in Tomo

---

1) SS. RR. DD. 2, 133: "quod ille (Ansgarius) fecit, non discrevit ab eo, quod a se ipso (Remberto) factum fuisset, quia cor unum et anima una, unus spiritus et una fides erat semper in eis". 2, 134: "nostrum est, æquales fuisse meritis (Ansgarium & Rembertum) credere."

2) Cfr. ad hoc inter alia SS. RR. DD. 2, 143, ubi auctor eodem modo, quo Rembertus ex. gr. SS. RR. DD. 1, 491, nomen reticens, de se loquitur; 2, 136; ubi ad Adalgarium, testem etiamnum viventem provocat, ut Rembertus SS. RR. DD. 1, 435 ad Withmarum.

3) SS. RR. DD. 2, 123 & 124. — Act. SS. 1 ad Febr. 355. — Cimbria litt. 3, 606 & 607. — Cfr. quoque Pertzii monumenta Germaniæ historica 2, 764.

a SS. RR. DD. nobis in hoc opusculo exarando ad manum fuisse.

Consuluimus præterea vitam Ansgarianam Remberti, de qua pauca quoque dicenda sunt. Hanc genuinam esse, et revera a Remberto conscriptam, veteres et fere omnes recentiores [1]) una voce affirmant [2]), ut operæ vix pretium sit, plura de hac re dicere, et criteria interna [3]), quæ innumera sunt, depromere; neque dubium est, quin Rembertus monachis Corbeiæ veteris hanc dedicaverit [4]), licet Adamo hoc non innotuerit [5]), et ope alius cujusdam ex discipulis Ansgarii in libro conscribendo usus sit [6]). — Tempus, quo scripserit, non diu post mortem incidit Ansgarii, vivente etiamnum With-

---

1) Dahlmannus in Forschungen in d. Gebiete d. Gesch. 1,222 nostræ sententiæ non addictus videtur; postea vero auctor ille aliter cogitavit cfr. Pertzii monumenta Germaniæ hist. 2, 686.

2) Cfr. Staphorst 1, 82—85, Cimbr. litt. 3, 30 & 31, qui multa in rem nostram collegerunt.

3) Ut hoc modo afferam, cum relationibus Islandorum optime conveniunt quæ de Sveeis ejus temporis traduntur SS. RR. DD. 1, 476.

4) Act. SS. 1, 393 sqq. Staphorst 1, 201 sqq.

5) Ad. Br. 1, XXXI: "hunc librum direxit novæ Corbeiæ".

6) SS. RR. DD. 2, 132: "libellus gestorum (Ansgarii) ab ipso Remberto, alioque condiscipulo ejus editus" & 2 129: "scriptores vitæ ejus".

maro, et Ludovico Germanico († 876)[1], et ex probabili conjectura Münteri[2] idem fuit, quo archiepiscopus hic a successore dilectissimo inter sanctos ecclesiæ catholicæ inscriberetur, ergo ante annum 867.

Quin fontes Remberti optimi fuerint, nemo est, qui dubitat, quum omnia fere partim ipse vidisset, partim ab Ansgario[3], vel a coævis, plerumque testibus oculatis[4], vel ex fontibus scriptis[5] percepisset. Jam vero hic quæstio oritur, utrum diarium Ansgarii illi adfuerit[6], quod vix quidem putandum erit[7], certe nusquam illius meminit, et quando statuimus, Rembertum inpri-

---

[1]) SS. RR. DD. 1, 435 Pertz. mon. Germ. 2, 686.

[2]) Kirchengesch. 1, 327.

[3]) Ita SS. RR. DD. 1, 431: "referebat (Ansgarius)", & 432: "ut verbis ipsius utamur", 488: "vidimus (Rembertus) quondam", 492: "quem moerorem cum suo fidelissimo discipulo (Remberto), qui ei conscius, querendo revelaret".

[4]) Ita narrationes SS. RR. DD. 1, 457, 462, 478, de victoria Syeonum super Choris reportata 491.

[5]) SS. RR. DD. 1, 467 rescriptum Nicolai papæ citatur.

[6]) Cfr. SS. RR. DD. 1, 482. Grundtvigius Dannevirke 3, 104 dubitat, utrum tale Ansgarii manuale unquam exstiterit, et illa, quæ sub hoc nomine feruntur (Leibnitz SS. RR. Br. Br. 2, 310) putat ex narratione Remberti, Adami, aliorumque composita.

[7]) Jam Ad. Br. 1, XXIV hoc observavit.

mis ex narratione aliorum scripsisse, optime intelligimus, cur sæpius in ordine chronologico erraverit; quod enim auribus percipitur, minus exacte tenetur. Utcumque vero hæc tandem se habent, per se patet, Rembertum, quamvis plurima nobis tradat, quæ in moribus Ansgarii characteristica erant, et quam maxime idcirco laudandus sit, non omnia memoria digna tradidisse [1]), neque tradere voluisse [2]), inprimis quod monachis Corbeiensibus scriberet, quibus cetera narrare posset Withmarus, qui inter eos commorabatur, quique multa ipsi percepissent de venerabili socio; et, quod maxime dolemus, brevis semper est, quoties de se ipso loquitur, ubi paucis solummodo verbis monet, se adfuisse [3]); hoc jam biographus ejus observavit, dicens [4]): "ubicunque commemoratio fit cujusdam fidelissimi discipuli ejus, quod frequenter ibi lector inveniet, ipsum sciat fuisse

[1]) SS. RR. DD. 1, 428.

[2]) Ita illud de Leuderico, qvi Ansgarium exulem, Hamburgo combusto, Bremæ recipere noluit, omissum esse videtur, pietate eadem, qua ductus Ad. Br. 1, XXIII hoc idem ita narrat: "fertur etiam venisse Bremam, atque ab episcopo illius loci, qui doctrinæ et moribus ejus invidit, depulsum esse".

[3]) Ita SS. RR. DD. 1, 491: "ipse (Ansgarius) cuidam suo dixit familiari".

[4]) SS. RR. DD. 2, 132.

Rembertum", et postea Adamus Bremensis [1]): "more beati Johannis, quasi de alio scribens, innuit, se, fidelissimum ejus discipulorum, testimonium perhibere".

His præmissis, vitam Ansgarianam, ex editione Langebekkiana [2]), tanquam fontem dissertatiunculæ hujus tractare licet, cætera vero, de hac dicenda, ad subsequentia trahimus, ubi melior illis locus erit.

Adamus Bremensis in historiæ ecclesiasticæ libro primo vitam tractavit Remberti, et, quamquam auctor ille non semper eo, quo optandum erat, studio, neque ad res narratas [3]), neque ad annos, narrationem suam ordinavit, quamquam interdum etiam nonnulla corrupit, et interpolavit, ut episcopo Bremensi, tunc potenti, placeret [4]), jura Bremensia, quæ episcopus vindicaret, ad prima ecclesiæ tempora referens, fatendum est, talia pericopen, quæ ad nos pertinet, haud multum confudisse. Quæ tradit pro veris sumenda sunt, fortasse nonnulla præteriit, quæ nobis usui

---

1) Hist. eccl. 1 XXXI.

2) De editionibus et versione hujus libri cfr. SS. RR. DD. 1 427 sqq Pertzii mon. Germ. hist. 2, 683 sqq, Moll. Cimbr. litt. 3, 30 & 31; de manuscripto in Dania cfr. Dannevirke 3, 102.

3) Cfr. ita SS. RR. DD. 1, 517. not. (*).

4) Krusius St. Anschar 6.

fuissent, at de his nil dicere possumus, quoniam fontes, qui illi aderant, non nobis ita innotuerunt. Ex historia Francorum, privilegiis Romanorum [1]), quæ ipse citat, et aliis documentis, de archivis Bremensibus petitis, plura collegit in usum nostrum, ceterum illam, quæ etiamnum adest, vitam Remberti exscribens.

Optimos fontes, ex quibus certissima de Remberto crisi evincere studuimus, nominavimus, cum his vero alia conferenda sunt documenta vetustiora, quoties novi aliquid illis inerat, quod haud raro contigit. Ex his præter Helmoldum Botzoviensem, et Albertum Stadensem, qui tamen plerumque in periodo nostra Adamum Bremensem exscripsit, præcipua nonnulla nominanda sunt: anonymi historia episcoporum Bremensium [2]), qui Adamum illustravit et excerpsit, scriptum vetus de ecclesia Bremensi [3]), quod, si Langebekkio, ob rationes internas, illud seculo X, vel haud diu post exaratum suspicanti, fidem habere liceret, haud minimi nobis esset pretii; sed quum ex septem illis, quæ sibi proposuit tractanda, scilicet sanctitatem ecclesiæ Bremensis quoad originem, nomen, locum et beatitudinem quoad mira-

---

[1]) Ad. Br. 1, XXXIII & XXI.

[2]) Lindenbrogii SS. RR. GC. 69 sqq.

[3]) SS. RR. DD. 1, 366—367.

cura, officia, reliquiae, indulgentiae, nil tractat nisi primum sanctitatem quidam originem; totum hoc tanquam fragmentum spectari, nil certi de origine ejus prædicari debet, et relationes illius, quæ ad nos pertinent, diligentius infra perlustrandæ sunt; narratio Islandica [1]) ex fontibus septentrionalibus, inprimis historia Olavi Tryggvini, et germanicis, ut Adamo Bremensi, haud male composita, legenda de martyribus Ebbekestorpiensibus [2]), diplomata paparum [3]), chronicon Corbeiense a coævis scriptum [4]), annales Corbeienses, Metenses, Fuldenses, Bertiniani [5]), chronicon regis Erici [6]), duo chronica Slavorum [7]). Hæc nominavimus, subtilior vero de relationibus illorum crisis invenitur, ubi iis auctoribus in aliqua re constituenda usi sumus.

Illa, quæ tempore recentiore Albertus Krantzius, Staphorstius, acta sanctorum, Celsius [8]),

---

[1]) Fornmanna sögur 11, 403—416 & SS. RR. DD. 2, 25 sqq.

[2]) SS. RR. DD. 2, 57 sqq.

[3]) In Staphorstii Hamburg. Kirchengesch. 1 impressa.

[4]) Wedekindi Noten 1, 371 sqq.

[5]) In scriptt. francicis a Du Chesne et brunsvicens. a Leibnitzio editis impressi.

[6]) SS. RR. DD. 1.

[7]) In SS. RR. GG. Lindenbrogii.

[8]) Svea Rikes Kyrkohistoria från 829—1000.

Molbechus [1]), Suhmius [2]), Langebekkius [3]), Münterus [4]), Krusius [5]), aliique disputarunt, consuluimus, quando sive novi quid exinde prodiret, sive lux clarior relationibus veterum infunderetur.

Nonnulla præmonenda; de tribus Rembertis; de patria, anno nativitatis, primaque adolescentia Remberti nostri.

Quum jam in illo simus, ut disquisitionem nostram incipiamus, haud incongruum videtur, nonnulla de statu religionis Christianæ in septentrione ante adventum Remberti præmonere. — Introductionem hujus temporibus ultimis ethnicis præparatam esse antehac diximus, et quidem duplici modo, quum partim religio Christiana finibus septentrionalibus appropinquaret, partim septentrionales expeditionibus piraticis finibus Christianorum appropinquarent. De Danis enim pro certo scimus, innumerabiles e terra illorum

---

1) Cimbria litterata 3.

2) Historie af Danmark & Kritisk Historie af Danmark.

3) In prologis et notis ad documenta, huc pertinentia, ab illo in SS. RR. DD. edita et in chronologia seculi noni SS. RR. DD. I & V.

4) Kirchengeschichte von Dänem. u. Norw.

5) St. Anschar.

piratas in Angliam, Franciamque venisse, et plures ibi religioni Christianæ addictos esse [1]), et fortasse hanc, in patriam reduces, secum tulisse et inter suos evulgasse. Tanquam traditionem veterum ad talia fortasse spectantem relationem Saxonis de Thorkillo Adelfar nomino. De Svecis quidem hoc non tam certo constat; attamen admodum probabile est, expeditiones ad oram maris Baltici orientalem plures ad imperium Græcum duxisse, quod certe de seculo nono incipiente valere, abunde eluceet ex loco notissimo annalium Bertinianorum ad annum 839 [2]); plures præterea expeditionibus et bellicis et pacificis regiones petiisse occidentales, constat ex. gr. ex oratione Sveci cujusdam, coram Ansgario habita [3]). Et jam seculo septimo exeunte haud procul a finibus septentrionalium in Frisia Villibrordus principi Helgolandensi Radboddo et populo ejus novam nunciavit religionem, quinetiam, si credere fas est, Ongendum, Danorum regem, visitavit, pluresque ethnicorum liberos ad Christianam religionem educandos secum duxit. Missionem hanc a Willehado et Ludgario renovatam expeditiones bellicæ Francorum, inprimis Caroli Magni

---

1) Cfr. si vis SS. RR. DD. V, 48, 73, 148.

2) Du Chesne scriptt. Franc. 3, 195.

3) SS. RR. DD. 1, 476.

contra Saxones, in regionibus Nordalbingicis stabiliverunt. Quinetiam Carolus Hamburgi nuper exstructi constituit presbyterum quendam (Heridagum), et in animo circumferebat, episcopatum ibi instituere. Licet bella Danorum, inprimis Gotfredi, et Slavorum multa hic perturbaverint, remansit tamen urbs et ecclesia usque ad tempora Ludovici pii. His jam Ebbo exstitit, archiepiscopus de gente Saxonum, qui sæpius Danos in aula regis viderat et, ethnicos illorum mores dolens, nunc tandem 822 per concilia et papam veniam adeptus est, terminos illorum adeundi et evangelium ibi nunciandi. Profectus est, at nil uberius de illo ad nos venit. Interea dissidia interna præsertim in Jutia effecerunt, ut principes exinde aulam peterent Ludovici. Ita Haraldus cognomine Klak cum uxore, filio, propinquis et pluribus subditis 826 ad regem venit, qui optime illos recepit et in omnibus auxilium pollicitus est, dummodo religionem Christianam assumerent. Haraldus cum suis baptizatus domum profectus est, et cum illo monachus ille Corbeiensis, primus septentrionalium apostolus, Ansgarius, qui unacum commilitone Autberto Slesvici scholam erexit, ubi pueros instituit Danorum, et in Dania religionem incepit docere Christianam. Postea, Autberto mortuo, ad Ludovicum venerunt 830 vel 831 legati Svecici; quibus,

novam religionem in sua quoque patria desiderari, nunciantibus, Ansgarium rex socium dedit. Ansgarius igitur Sueciam adiit cum Withmaro, et prosperum omnino eventum concionatio ejus ibi habuit, ita ut ecclesiæ exstruerentur, multi baptizarentur. Jam nunc ostium apertum erat religioni Christianæ inter septentrionales, sed reditus sufficientes nondum aderant. Recogitavit idcirco Ludovicus pius concilium patris, Hamburgi ecclesiam archiepiscopalem instituendi, Ansgarium 831 huic præposuit, et, ut impensæ suppeditaretur, cellam illi tribuit Turholtensem in Flandria prope Brugas [1].

Quondam archiepiscopus hanc cellam, ubi scholam puerorum instituerat [2], visitavit, et, ut verbis vitæ Rembertianæ utamur [3]; "aspexit quosdam pueros ad ecclesiam cum joco et inanibus festinare discursibus, quorum quidam, inter cæteros pæne minimus, graviter incedens, et pueriles levitates sollicite devitans, orationem cum reverentia et timore peregit, surgensque signo crucis frontem muni-

[1]) De hac cella cfr. SS. RR. DD. 1, 450 not. (t) et Act. SS. 1, 396.

[2]) SS. RR. DD. 1, 489: "nonnullos pueros ex Normannis vel Slavis emptos in eadem cella, causa discendi, ad sacram militiam nutriendos posuerat". 1, 455: "quosdam (pueros) ad cellam Turholt nutriendos posuit".

[3]) SS. RR. DD. 2, 128.

viri, et, quasi maturioris esset ætatis, suam per omnia continentiam exhibuit. Animadvertit ergo vir Dei sacram religiosi pueri infantiam divinæ jam servitutis amore flagrasse, accitisque ad se parentibus ejus, et nomen pueri, quod Rembertus vocaretur, edidicit, et, consensu eorum accepto, tonsuram ei et ecclesiasticum habitum [1]) imposuit. Sicque eum ibidem paternæ sollicitudini commendans, studiose erudire præcepit, paucisque diebus ibi transactis, inde discessit". — Jam hic plures quæstiones nobis obviam veniunt, et prima quidem, ex qua natione Rembertus noster ortus sit, quod haud difficile videtur dictu; nam quoniam Ansgarius parentes pueri intra paucos dies ad se arcessivit [2]), necesse est, illos vel in Flandria, vel haud procul ab ea regione habitasse; Rembertum ergo a parentibus Flandricis natum dicere, optimum erit; certe, nulla solida ratione illi ducti sunt, qui aut cum Suffrido Petri illum ex Frisia ortum esse statuunt, aut cum Philippo Cæsare, et Grundtvigio ex Dania [3]).

---

[1]) Novizenkleidung dicit Münterus Kirchen-Gesch. 1, 323.

[2]) "Paucis diebus ibi transactis", cfr. supra.

[3]) Cfr. Act. SS. 1, 556, Cimbr. litt. 3, 599; Dannevirke 3, 106, ubi parentes in Flandria tantum habitasse et ex Dania ortos esse Grundtvigius suspicatur; cæterum de ejus sententia cfr. infra.

Sed praeter hunc Rembertum Flandricum, alii quoque Remberti, primo obtutu inter se et ab illo diversi, in historia temporis istius occurrunt, de quibus, ne postea in disquisitione nos confundant, hic agere praestabit. — Taceo illorum sententiam, qui Rembertum nostrum cum Erimberto, ex vita Ansgariana nobis noto, commiscuerunt[1]), quoniam nil probabile cum illis stat; et statim ad tres illos, revera Remberti nomine vocatos, me converto. Adamus Bremensis enim in cap. XXVIII libri primi narrat de ecclesia Ripensi, quam Ansgarius "Remberto commendavit presbytero" et ipse noster Rembertus "episcopum, e gente Danorum progenitum, Rembertum", quem Ansgarius in Sveciam miserat, commemorat[2]); Hi duo, quorum ordini tertius noster Turholtensis accedit, ejusdem nominis, sed, ut videtur, inter se diversi, non possunt, quin dubia moveant; quamquam enim nomen "Rembertus[3])" nonnunquam isto tempore nobis obviam venit[4]), mirandum tamen esset, tres tales inter asseclas fuisse Ansgarii.

---

[1]) Moll. Cimbr. litt. 3, 608.

[2]) SS. RR. DD. 1, 484.

[3]) De nomine "Rembertus", quod etiam Rimbertus, Rumbertus, Reimbertus, Reinbertus scribitur, cfr. SS. RR. DD. 2, 126 not. (l), Cimbr. litt. 3, 599.

[4]) Ita in Krantzii metropoli 1, 85.

Confugimus ergo ad alia monumenta et quidem primum ad annales Corbeienses[1]), ubi archiepiscopus Rembertus, qui mortuus est 888, noster dicitur, et idem antea ad annum 860 pastor Ripensis: neque illis solis annalibus, qui interdum falsa notarunt,[2]) sententiam nostram roboramus, quum vetus scriptum Bremense[3]) fere idem perhibeat. Adamus primo obtutu huic nostræ sententiæ obstare videtur, qui loco citato dixerat: "ecclesiam Ripensem Remberto commendavit presbytero" idem successorem Ansgarii "Rembertum diaconum ejus"[4]) nominat; quando vero diligentius rem percogitaverimus, inveniemus, verisimillimam esse sententiam Langebekkii[5]), per "presbyterum" nil aliud significari, quam quod annales Corbeienses "pastor" nominant. Neque a moribus temporis istius alienum est, clericum duobus fungi muneribus ecclesiasticis, quocirca neque nos nimis nobis arrogamus, statuentes, Rembertum et pastorem fuisse ecclesiæ Ripensis et diaconum Ansgarii[6]). Si quis nos ad vitam

[1]) Leibnitzii SS. BrBr. 2, 298 & 299.

[2]) Ex. gr. mortem Nithardi, quam ad 832 referunt.

[3]) SS. RR. DD. 1, 367: "ecclesiam Ripensem fundavit (Rembertus)."

[4]) 1, XXXI.

[5]) SS. RR. DD. 2, 125 cfr. 1, 482 & 552.

[6]) Vide quæ Krusius (St. Anschar 302) de hoc disputat.

Remberti ablegaverit, fatebimur quidem, nil ibi de Remberto, presbytero Ripensi, occurrere, sed multa quoque alia, aliunde nobis cognita, auctor omisit, ex cujus silentio ergo nullum contra nos argumentum prodire potest; e contrario quidem exinde fortasse conjicere licebit, nostram Rembertum hunc presbyterum Ripensem fuisse; quum constet, Rembertum de se ipso verba proferre non amare, et Withmarum [1]) fratribus Corbeiensibus, quibus Rembertus scripsit, hoc optime illustrare posse.

Ex illis, quæ nobiscum non stant, duas præcipuas afferre et refellere libet sententias. Alteram Staphorstii in historiæ ecclesiasticæ Hamburgensis voluminis 1 parte 1 [2]), quæ Rembertum Danum eundem cum Remberto presbytero, ab archiepiscopo diversum, probare vult, et contra quam Langebekkius [3]), rationibus ex chronologia petitis, ita disputat: Rembertus Danus ex probabili conjectura 859 [4]) in Sveciam missus est, et per longam seriem annorum, teste vita Ansgarii, ibi remansit; ille vero, qui presbyter factus est Ripensis, 860, testantibus annalibus Corbeiensibus,

---

1) SS. RR. DD. 1, 435, 444 Rembertus illos ad hunc ablegat.

2) 1, 1, 82 & 86.

3) SS. RR. DD. 1, 482.

4) SS. RR. DD. 1, 484.

na venit; ergo hi inter se diversi sunt; sed fatendum tamen, neque annum 859 omnino certum[1]) neque annalibus Corbeiensibus, qui ad 860 Remberti vocationem Ripensem referant, omnem fidem habendam esse, quoniam, ut supra monstratum est, in annis interdum errant; sed, si sententia nostra vera est, hæc falsa; Rembertus enim in Sveciam missus ex Danica prodiit stirpe, et pastor Ripensis, ad Turholt natus, ex Flandrica. Alteram Grundtvigii in commentatiuncula de Ansgario propositam, quæ vitæ Rembertianæ, utpote a monachis insciis scriptæ, fidem denegans[2]), eundem suspicatur esse Rembertum Danum, qui erat pastor Ripensis, episcopus Sveciæ et tandem archiepiscopus. Conatur nimirum[3]) illa: "hactenus divina mysteria apud eos celebravit," in cap. 29 vitæ Ansgarianæ[4]) de Remberto Dano, episcopo Sveciæ, dicta, ad: "denique dum hæc agerentur" in initio capitis referre, pro vero statuens, Rembertum Danum in Svecia mansisse, non ad id tempus, quo vita Ansgarii a Remberto archiepiscopo conscriberetur, sed usquedum Ans-

---

[1]) Chron. Corb. (Wedekindi Noten 1, 384) Ansfridum demum 865 reversum esse tradit, et illi Rembertus successit.

[2]) Dannevirke 3, 106 & 107.

[3]) Dannevirke 3, 147. Versio svecica antiqua "hactenus" vertit "framdelis".

[4]) S.S. RR. DD. 1, 484 not. (p).

garius ope illius Ripæ indigeret; at ea explicatione vis textui infertur, quoniam ex simplici verborum interpretatione "hactenus" pertinet ad annum, quo Rembertus vitam præcessoris describeret [1]). Porro quod Ansgarii admonitiones ad emissos suos, ut exemplum scilicet Pauli sequerentur, et evangelium gentilibus sine remuneratione prædicarent, post missionem quidem Remberti hujus afferantur, secundum sententiam ejus [2]), indigitat, Rembertum, auctorem vitæ, hoc loco de se locutum esse, quamquam nobis certe multo verisimilius est, has adhortationes inculcatas esse idcirco, quod Rembertus Danus seriei illorum, qui ab Ansgario emitterentur, finem imponeret, et locus ergo optimus videretur, illa proferendi, quibus Ansgarius emissarios suos moneret. Nos igitur nostro jure videmur talia missa facere, ingeniosis quidem argumentis, iisdem vero non satis firmis annixa, et sententiam Langebekkii, Krusii [3]), Münteri [4]), Suhmii [5]), nuper a nobis uberius propositam, eligere, statuentes, Rembertum nostrum cum Remberto pastore Ripensi

[1]) SS. RR. DD. 1, 484.

[2]) Dannevirke 3, 151.

[3]) St. Anschar 230.

[4]) Kirchengeschichte 1, 313.

[5]) Historie af Danmark 2, 226.

eundem, verum a Remberto episcopo Sveciæ diversum esse.

His peractis ad tertiam quæstionem, quo tempore Ansgarius in Rembertum nostrum inciderit, transgredimur. Langebekkius [1]), et cum illo plures recentiores [2]), id anno 832 factum esse suspicantur, quoniam Meierus in annalibus Flandricis [3]) hæc habeat: "eodem tempore (anno 832) Ludovicus Cæsar et Ansgarius archiepiscopus Hamburgensis in Flandriam venerunt, visitantes Turholt monasterium, archiepiscopo ab imperatore donatum, unde Rembertum, optimæ indolis magnæque spei puerum, futurum archipræsulem, Ansgarius secum duxit;" at idem auctor paulo supra Ansgarium anno 830 archiepiscopum Hamburgensem factum esse dicit, et infra [4]) 864 illum mortuum, 887 vero Rembertum mortuum, ita ut computationi illius, licet, ut Langebekkius putat, annales vetustiores illi adfuerint, non nimia fides danda sit; hoc saltem constat, plerumque illum res nostras ad annum, ei anno, quo revera gesta fuerint, præcedentem, retulisse. Si autem daremus, veram esse computationem Meieri, Ansgarium cum rege in cella Turholt anno 832 fuisse,

---

1) SS. RR. DD. 1, 516.

2) Ita Münterus Kirchengesch. 1, 322.

3) Annales Flandrici 11 b).

4) Annales Flandrici 13 b) et 14 b).

probabile fieret, quod Langebekius 1) suspicatur, archiepiscopum tunc prima vice ibi fuisse, et hoc dato, Rembertum illo tempore nondum eum vidisse, verisimile fit, biographus enim Remberti hoc "quodam tempore, quum ibi degeret" factum esse asserit, quod vix cum Langebekii "prima vice" quadrat. Sed forsitan verba biographi non ita premenda sunt. — In his dubiis ad alia vetustiora monumenta nos convertimus. Adamus Bremensis 2) "in diebus illis," inquit, (Leuderici qui demum 837 sive 839 3) episcopalem dignitatem accepit) "saepe (Ansgarius) monasterium Galliae, quod donis Caesaris possedit, Turholt, visitans, fratribus, ibidem Deo militantibus, salutaris regulae tramitem verbo exemploque monstravit. In quorum nobili contubernio jam tum a puero sanctus effulsit Rembertus, quem sanctus pater Ansgarius, adoptans in filium, prophetico spiritu, quo plenus erat, longe ante praedixit, illum suae virtutis aemulum et in cathedra pontificali succedere, gratiaque meritorum in coelesti regno consortem fore." Quod idem, verbis ab Adamo petitis, Albertus Stadensis 4) ad annum 837 refert. Sed

1) SS. RR. DD. 2, 128 not. (k).

2) 1, XX.

3) Wedekinds Noten 1, 59.

4) Alberti Stadensis Chronicon, Helmstadii 1587, 60 b.

non, nisi pro anno, tuto hi duo habendi sunt; et fatendum est, verba Adami "in diebus illis" ambiguo sonare, neque exinde pro certo elici posse, Rembertum post annum 837 sive 839 demum Ansgario notum esse factum.

Testimoniis igitur distinctis destituti, non possumus, nisi in universum statuere, Ansgarium Rembertum invenisse aliquot certe annis ante 837, quo, ut infra demonstrare studebimus, Hamburgum combustum est; nam fortasse ex cap. XIV vitæ Ansgarianæ 1) et certe ex cap. VIII vitæ Rembertianæ 2) patet, Rembertum, quum Hamburgum everteretur, ibi cum Ansgario fuisse, sive ante id tempus, dum etiamnum urbs Hamburgensis locus Ansgario erat habitaculi 3), eo venisse; et ex eodem capite vitæ Rembertianæ cum capite IV 4) collato, probatur, plures annos effluxisse, antequam Ansgarius ita Rembertum sibi adjunxerit, ut illum "indivisibilem legationis suæ comitem" fecerit. —

---

1) SS. RR. DD. 1, 455: "hic feliciter nobiscum religionis divinæ crevit opinio," sed fortasse per: "hic" Turholt intelligitur.

2) SS. RR. DD. 2, 130: "prima nocte adventus ejus (Remberti) Hamburgum, quum ipse adhuc in prima ætate adolescentiæ fuisset."

3) Post annum 837 Ansgarius non diutius Hamburgi, sed Ramesloæ habitavit; cfr. Ad. Br. 1. XXIII.

4) SS. RR. DD. 2, 128, ubi narratur de Remberto in schola et: "in paucis annis perfectus enituit" dicitur.

Hæc ideo tam copiose tractavimus, quod ætatem et annum nativitatis Remberti, fontibus tacentibus, non nisi his superstruere possemus. Sed ne ex his quidem alia evincimus, quam Rembertum uno sive altero illorum annorum ex 832 ad 835 a biographo [1]): "inter ceteros pueros pæne minimum" vocatum esse, unde nostro jure colligere videmur, illum non ante, verum potius post 820 natum esse, tamen non diu post, quum alias 876 non senio gravatus [2]) dicendus esset.

Sed ad historiam. — Biographus Rembertianus [3]) de Ansgario pergit narrare, illum curasse, ut Rembertus noster optime erudiretur, et deinde intra paucos dies ad gentes apostolatus sui discessisse. Rembertus ergo nunc, disciplinæ monachorum Turholtensium scholasticæ commissus, omnibus liberalibus artibus, inprimis vero studio sacræ scripturæ, operam dedit, nec dubitandum est, Ansgarium ipsum præsentia sua hunc suum dilectissimum adhortatum esse; præsertim, quum Adamus Bremensis [4]) illum sæpe Turholt visitasse testetur. Quomodo animus Remberti, jam ab initio rebus religiosis deditus, in schola se efformaverit, caput quartum vitæ ejus nobis tradit, ita

[1]) SS. RR. DD. 2, 128.

[2]) SS. RR. DD. 2, 142.

[3]) SS. RR. DD. 2, 128.

[4]) 1, XX.

morans: "etiam tunc juxta Psalmistam concaluit cor ejus intra ipsum, et meditatione ejus exarsit ignis, invenire cupiens, quid ei in hac vita consistenti exsequi maxime prodesset. Cui, talia meditanti, occurrit, juxta quendam sapientem [1]), primam philosophiæ definitionem meditationem esse mortis, idque toto pectore hausit, ut omni vitæ suæ tempore hanc summam sapientiæ consequi mereretur, quatenus tempore mortis suæ de neglectu præmeditationis ejus non contristari, sed potius per observationem scripturæ, monentis ac dicentis: in omnibus operibus tuis memorare novissimæ tuæ, et in æternum non peccabis, quantum humanæ conditioni possibile esset, de peccatorum vel cautela, vel remissione securus lætificari mereretur." Ex quibus conjici quoque potest, Rembertum jam puerum scripta veterum Græcorum adiisse, et nonnihil illa ad juvenem efformandum, ut par erat, valuisse. Finita eruditione ecclestiastica mox eum Ansgarius "indivisibilem suæ legationis comitem esse" instituit [2]). Nonne vero jam tunc monachus factus erat? Ambigua Adami narratione [3]) ducti nonnulli [4]) hoc credi-

---

[1]) Plato in Phædone hæc habet: οἱ ὀρθῶς φιλοσοφοῦντες ἀποθνήσκειν μελετῶσι.

[2]) SS. RR. DD. 2, 129.

[3]) 1, XX: "in quorum nobili contubernio jam tum a puero effulsit Rembertus."

[4]) Krusii St. Anschar. 268, Cimbr. litt. 3, 600.

derunt, sed contra illos jam Kranzius[1]) dimicat victoriose. Probabilior primo obtutu sententia videtur illorum, qui cum breviario Isibordi ab Amelunxen, monachi Neocorbeiensis, seculo undecimo viventis, cum Trithemio et aliis[2]), Rembertum putant, antequam cum Ansgario tam intime conjungeretur, scholæ Neocorbeiensis præfectum fuisse.

Si vero vitam Rembertianam, a monachis Neocorbeiensibus scriptam, inspexerimus, et ne verbulo quidem commemoratum invenerimus hoc, quod, si verum esset, non isti omisissent, rumor nobis evanescet[3]).

De Remberto adjutore Ansgarii.

Ille Ansgarii amor erga Rembertum nostrum, jam primo obtutu ortus, nunc in dies crevit et firmior factus est; ut antea Antberto, Withmaroque usus erat sociis et amicis, ita nunc Remberto: fere nunquam alter ab altero recedebat, unanimes in hoc operabant, ut gentilibus plenis-

---

1) Metropolis 1, cap. 32.

2) Cimbr. litt. 3, 600 et 601.

3) Ex vita Ansgarii, ubi tale quid SS. RR. DD. 1, 456 de Ansgario prædicatur, fortasse rumor iste ortus est.

sime innotuit cognitio nis ad salutem religionis Christianae. Quocirca quoque difficillimum est distinguere, quantum Rembertus hoc tempore egerit, quantum Ansgarius; historia itinerum et gestorum hujus, ut observavit cel. Münterus[1], eadem est ac historia illius, praesertim quoniam ille nobis omnia tradidit, et, quod jam antea diximus, nomen suum semper reticens, autem solo ad se respicit. At his nutibus diligenter ntendum est, nam nil nisi hos habemus, quibus seriem longam annorum 25 illustremus, biographo Rembertiano tacente, vel minora et inania narrante.

In cap. XI[2]) tradit biographus, Ansgarium brevi ante mortem Remberto dixisse, neminem nisi illum sibi in dignitate archiepiscopali successurum; si vero cum hoc verba Adami[3]) et illam visionem, de qua mentio fit cap. VII, conjunxerimus[4]), non dubitabimus, quin cap. V[5]) vera attigerit, asserens, verisimile videri "ex tenore conversationis, et modo, quo semper deinceps apud Ansgarium tractatus et habitus sit, quod (jam tunc) Ansgarius pro vero haberet, Rembertum sibi in episcopatu successorem futurum." Adamus

---

1) Kirchengesch. 1, 323.
2) SS. RR. DD. 2, 134.
3) 1, XX.
4) SS. RR. DD. 2, 130—131.
5) SS. RR. DD. 2, 129.

enim haec habet: "prophetico, quo plenus erat, (Ansgarius) spiritu longe ante prædixit, illum in cathedra pontificali succedere;" et cap. VIII narrat, Ansgario prima nocte postquam Rembertus Hamburgum venisset apparuisse in somnio dilectum hunc discipulum in fastigio oratorii sedentem, simul campanam, de qua ligamen lineum, modo funis demissum, usque ad ipsum Rembertum dependeret, quod Rembertus moveret et sono campanæ dulci delectaretur. Visio hæc toto suo tenore persimilis est illarum, quæ in vita Ansgarii nobis narrantur; et quid impediret, quo minus crederemus, Ansgarium tali revera gavisum esse, equidem non intelligo. Ratione psychologica, ex interna animæ ejus conditione, optime explicari potest; quantum nos Ansgarium cognovimus, vividissima erat phantasia ejus; Rembertum intimo amore complexus est, intimo animo hunc successorem fore optavit; quid jam obstat, quominus hic amor cum hoc desiderio se conjunxerit, et in somnio ante illum versatus sit, sub forma spei firmæ, futurum id, quod optaret? E contrario vix verisimile videtur, biographum Rembertianum, qui alias hoc quidem respectu tam inania tradidit [1]), hanc visionem perpulchram fin-

---

[1]) Cfr. ex gr. explicationem hujus visionis ab auctore adjectam, SS. RR. DD. 2; 151.

xisse. Idem valet de illo, quod cap. VII habet, Rembertum ab Ansgario petiisse, ut precibus suis obtineret, ne in futura vita separarentur, sed ambo conjuncti manerent; licet non negemus, spiritum sinceri amoris, qui ab initio illi inesset, aliquantum a biographo mutilatum esse. At si hisce relationibus biographi non fides deneganda est, quid tandem dicendum de cap. VIII[1]), ubi presbyter Arnulfus, jam diu defunctus, Remberto dicitur apparuisse, dum etiamnum inter asseclas Ansgarii esset, et ab eo petiisse, ut jejunio dierum 40 animum a poenis liberaret. Rembertum, ex concilio Ansgarii hoc jejunium agentem, Arnulfum servasse, qui deinde foeminae cuidam appareret, illi injungens, ut Remberto gratias ageret. Langebekkius[2]) suspicatur, hoc fictum esse, ne Rembertus hoc respectu Ansgario esset inferior, quod haud improbandum videtur, certe omnia, quae ex toto capite nobis in usum veniunt, haec sunt: Rembertum, ut ex epilogo biographi appareret, quod vero jam aliunde nobis innotuit, humilitati animi operam navasse, nisi forte quis hoc historicum addere vellet, illum dentium dolore laborasse.

Verum inter haec venimus ad annum ominosi

[1]) Ab Ad. Br. 1, XXXVII narratio hæc citatur.

[2]) SS. RR. DD. 2, 431 not. (b).

num 837, quo initium cepit series temporum Ansgario infelicium, tandem vero constantia ejus, patientia et fide in felicia conversorum.

De quo, si ob nullam aliam causam, tamen quoniam hic annus computationi nostræ de ætate Remberti rationem præcipuam adfert, uberius hoc loco disputandum est: et, quum ad tempus verum constituendum hæc tria: Hamburgum combustum, rebellio contra Christianos Svecicos, amissio cellæ Turholt, a commentatoribus allata sint, optimum videtur, brevem horum narrationem ex vita Ansgarii præmittere.

De Hamburgo Rembertus [1]) hæc fere tradit: "contigit ex improviso, piratas advenientes Hamburgensem civitatem navigio circumdedisse. Quod quum inopinate et subitanee accidisset, spatium non fuit, pagenses congregandi, quippe quum et comes, qui eo tempore præfecturam loci illius tenebat, illustris vir Bernarius, tunc deesset. Dominus vero episcopus, ibi positus, cum his, qui aderant in urbe ipsa vel in suburbio manentibus, primo quidem audito adventu eorum, locum ipsum continere voluit, donec majus eis veniret auxilium, sed, impellentibus paganis, et civitate jam obsessa, cum eis resisti non posse conspexit, clericis suis, huc illucque fuga dispersis, etiam

[1]) SS. RR. DD. 1. 455. sqq.

sine cappa sua vix evasit. Hostes, arrepta civitate, et omnibus, quae in ea erant, spoliatis, cum vespertino tempore eo adventassent, noctem ipsam cum sequenti die et nocte ibi consederunt. Sicque, succensis omnibus ac direptis, egressi sunt. Ita ecclesia, bibliotheca, claustrumque igni disperierunt."

De Svecia ita narrat [1]): "his itaque peractis, contigit etiam, ut populus Sveonum, furore zeli accensus, Gautbertum episcopum insidiose persequi coeperit, factumque est, ut ad domum, in qua manebat, unanimi convocatione pars quædam populi causa direptionis irruerit, et nepotem ipsius, Nithardum, gladio peremerit. Ipsum vero cum cæteris sociis, qui simul aderant, ligaverunt, et diripientes omnia, a finibus suis expulerunt. Quod tamen non regio jussu factum, sed populari tantum conspiratione perpetratum."

De Turholt tandem traditur [2]): "contigit Ludovicum imperatorem vita præsenti discessisse. Post cujus obitum, quum de regni divisione magna fuerit perturbatio, pastoris quoque nostri labefactari coepit legatio. Nam quum cella Turholt in partem cessisset regis Caroli, ipse eam a servitio, quod pater suus disposuerat, amovit et dedit Re-

---

1) SS. RR. DD. 1, 486 sqq.
2) SS. RR. DD. 1, 464.

ginario. Pro qua re pater noster multiplicibus tunc atteri coepit necessitatibus et indigentiis, unde contigit, ut et fratres vestri (veteris Corbeiae), qui hic tunc cum eo aderant, ad vestram societatem redierint, et multi quoque alii causa paupertatis eum dereliquerint."

Quomodo hoc ultimum, amissio sc. Turholti, cum duobus antecedentibus conjungendum esset, utrum hoc an illud prius esset, quo tempore eversio Hamburgi evenisset, haec erant, quae graviter historicos vexarent. Nemo enim dubitavit, Turholtum dicere Ansgario ereptum, paulo post partitionem regni 843, neque Hamburgum combustum eodem tempore, quo Christiani Svecici ejicerentur, quas duas res Rembertus quoque intime conjunxit.

Sententia Grundtvigii [1]), quae ex annalibus Corbeiensibus [2]) annum 832 illum esse perhibet, quo Hamburgum combureretur, et Nithardus interficeretur, nullo modo cum documentis nostris conjungi potest, inprimis quoniam, quod supra demonstravimus, Rembertus Hamburgum venerat ante eversionem, Hamburgum vero venit annis aliquot demum postquam Ansgario innotuit, at ante 832 Ansgarius Turholtum adire non potuit.

---

[1]) Dannevirke 3, 130.

[2]) Leibnitz SS. BrBr. Hannoverae 1710 2, 296 ad annum 852: "Nithardus, primus in Svecia martyr."

Neque cum Arrhenio, qui, nulla idonea ratione nisus, in breviario suo eversionem Hamburgensem ad annum refert 836 [1]), stare possumus, nec cum illis, qui duas eversiones statuunt ad annum 837 et 845 [2]), quarum alteram nunquam in chartis nostris nominatam invenimus.

Sententiæ, quæ attentionem nostram poscunt, et quarum alterutram eligere necesse est, duæ solummodo sunt, altera, quæ 845, altera, quæ 837 tanquam annum ponit eversionis. Langebekkius [3]) et Acta sanctorum [4]) priorem optime explicarunt, et cum his Staphorstius [5]), Munterus [6]), Krusius [7]), Suhmius [8]) stant.

Nomina illustria, quæ sane nil temere statuerunt. Etiam hic, ut videtur, optimis argumentis rem suam stabilirunt; annales enim Fuldenses [9]) ad annum 845 ita narrant: "castellum etiam in Saxonia, quod vocatur Hammaburg, populati

---

[1]) Cimbr. litt. 3, 18.

[2]) Wedekindi Noten 1, 56.

[3]) In chronologia Ansgariana SS. RR. DD. 1, 528 & 529.

[4]) Act. SS. 1, 392.

[5]) Hamb. K. Gesch. 1, 36.

[6]) K. Gesch. 1, 297.

[7]) St. Anschar, 88.

[8]) Historie af Danmark 2, 136 & 137.

[9]) Du Chesne SS. FrFr. Paris 1616. 2. 549.

(Normanni), nec inulti reversi sunt;" annales Metenses ad eundem annum:¹) "Castellum etiam in Saxonia, nomine Hammaburg, populati, (Normanni) nec inulti reversi sunt;" Bertiniani tandem ad annum quoque²) 845. "Nortmannorum rex Oricus 600 naves per Albim fluvium in Germaniam, adversus Ludovicum dirigit, quibus Saxones occurrentes, commisso proelio, Domini nostri Jesu Christi auxilio victores efficiuntur; unde digressi Sclavorum quandam impetunt et capiunt civitatem." Et hi omnes annales antiquissimi sunt.³) Attamen hoc loco jam observandum est, annales Fuldenses et Metenses eadem iisdem verbis narrare, ita ut, sive alter ex altero hauserit, sive ambo ex vetustiore, solummodo pro uno teste habendi sint, porro annales certe Fuldenses sæpius in annis errasse⁴), tandem Bertinianos narrare quidem de urbe a Normannis capta, sed non Hamburgum, ne Saxonum quidem, sed Slavorum urbem nominare. — Ex aliis scriptis ævi istius bulla Nicolai papæ de conjunctione ecclesiarum

¹) Du Chesne 3, 302.

²) Du Chesne 3, 201.

³) Chronicon Slavorum, Lindenbrog SS. RR. GG. 190, videtur quoque cum his facere, sed seriore demum tempore, ex fontibus ignotis scriptum, haud magni nobis pretii esse potest.

⁴) Ita false ad 870 concilium referunt Wormatiense Du Chesne 2, 563 cfr. Schatenii annal. Padrab. 174.

Hammaburgensis et Bremensis cum Lappenbergio facere videtur, rem nostram ita tractans 1): "Verum, quia Carolus vero, sæpe dicti regis (Ludovici) frater, post decessum imperatoris, patris sui piæ memoriæ Ludovici, abstulit a prenominato loco, qui dicitur Hammaburg, monasterium, quod appellatur Turholt, utpote quod post partitionem inter fratres suos in regno suo conjacere videbatur, situm in occidentali Francia, quod illic genitor suus ad supplementum et victum episcopo et clericis ejus dederat, cœpere, sicut fertur, omnes ministri altaris recedere, deficientibus quippe necessariis sumptibus; ab ipsis recesserunt gentibus, et eadem ad gentes legatio per hujusmodi factum deficit, ipsaque metropolis Hammaburg 2) deserta facta est." — Ex his jam collegerunt, Hamburgum demum, postquam Turholt amissum esset, combustum esse, ergo post annum 842, 843 vel 844, sed quid quæso obstat, quominus hæc in bulla secundum vim rationum allata esse arbitremur, et Hamburgi combustionem idcirco ulteriorem locum obtinuisse, quod illa non tanto Ansgarium afficeret detrimento, ac amissio cellæ opulentissimæ Turholtianæ 3), ex cujus pro-

---

1) Staphorst 1, 42.

2) "Pæne" in nonnullis codicibus hic additur.

3) Cfr. vitam Ansgarii, unde liquet, neminem Ansgarium, Hamburgo privatum, deseruisse, contra multos,

ventibus inprimis apostolatus septentrionalis vires traheret[1]).

At hæc contra bullam et annales prolata ad nihil certi ducerent, neque nos illa depromeremus, nisi aliunde veriora quædam nobis obviam facta essent[2]), nimirum inprimis ex Chronico Corbeiensi et vita ipsa Ansgariana. Quamquam enim negari nequit, Rembertum negligentius interdum in ordine chronologico egisse[3]), hic tamen, ubi distincte loquitur de rebus, quas partim sexcenties a patre dilectissimo et aliis audi-

---

quando Turholt amitteret, SS. RR. DD. 1, 456 enim modo: "nusquam sedebant quieti (ille & sui)" dicitur, at 1, 464 post amissionem Turholti: "multa causa paupertatis illum dereliquerunt."

1) Confirmationem Ramesloæ, archiepiscopatui Hamburgensi per pontificem Romanum concessam, omnino omisimus, quoniam nulla exinde documenta vera peti possunt (cfr. Staphorst 1, 54 sqq.). Pars prior ex bulla de conjunctione ecclesiarum, posterior ex narratione Remberti (SS. RR. DD. 1, 455 sqq.) exscripta est.

2) Si cum Alberto Stadensi 91 b) & chronico Slavorum apud Lindenbrog 253 liceret, mortem Leuderici ad annum 844 referre, exinde probaretur, Hamburgum ante hunc annum combustum esse, nam, teste Ad. (1, XXIII) Ansgarius Hamburgo exul a Leuderico episcopo Brema depulsus est; sed computatio Ad. (1, XX), cui hi sine dubio sententiam superstruxerunt, obscurior est, et Langebekkius (SS. RR. DD. 1, 464 not. (e)) illam aliter interpretatus est, et Wedekindus rursus aliter (Noten 1, 59).

3) Cfr. SS. RR. DD. 1, 454 not. (f).

visset, partim ipse vidisset, cum recte nullo modo non dubitandum est. Præterea, ut infra monstrabitur, non in unum solum, sed in duos ut videtur locos, computatio ejus de his vim suam exseruit.

In capite XIV [1]) igitur ita narrat: "fuerunt cum eo (Ansgario) hic [2]) (Turholti) ex societate Corbeiæ veteris sancti patres nostri et magistri, quorum doctrina et institutione feliciter nobiscum [3]) religionis divinæ crevit opinio. Verum quum hæc in utraque parte laudabiliter et deo digne agerentur, contigit ex improviso, piratas advenientes Hamburgum navigio circumdedisse."

Ergo, dum omnia Hamburgi feliciter agebantur, dum Turholti optime monachi Corbeienses scholam administrabant, dum nullus omnino rumor erat de hac cella Ansgario eripienda, piratæ advenerunt; unde sequitur, illum, qui cum Langebekkio [4]), posteriorem partem cap. XIIX ante relationem de Hamburgo interserendam esse perhibeat, vim textui sine dubio inferre.

Alterum nunc, pro sententia nostra facientem,

---

[1]) SS. RR. DD. 1, 455.

[2]) Fortasse Hamburgum hic intelligitur, potius tamen Turholtum, quando ad antecedentia et SS. RR. DD. 1, 464: "unde contigit, ut et fratres vestri, qui hic (Turholti) cum eo aderant," respicimus.

[3]) Rembertus ergo, ut videtur tunc Turholti commoratus est.

[4]) SS. RR. DD. 1, 464 not. (u).

locum, cap. XXIX [1]) vitæ Ansgarianæ, afferre liceti: Sermo ibi est de visione nocturna Ansgarii triennio antequam ad Bremensem invitatus est ecclesiam, ergo anno 842 sive 843 sive 844 [2]) illi oblata; apparuit illi Petrus Apostolus, qui hominibus quibusdam, ut episcopus sibi daretur, petentibus, ipsum nostrum Ansgarium obtulit, "unde," inquit Rembertus, "certus ille omnino factus est, quod alicubi in nomine Domini ire deberet." Quando jam visiones Ansgarii inspexerimus, apparebit, nullas inaniter, sine idonea ratione, omnes ex illis, quæ animo suo volveret, plerasque ex angustia et timore de una sive altera re ortas, bonum divinasse eventum illorum, de quibus anxius esset. Analogiam ergo sequuti, hoc loco statuimus, anxium jam 842 Ansgarium fuisse, quid ageret, quo se converteret: quomodo vero anxius esse posset, si sedes Hamburgensis etiamnum firma illi staret?

Si itaque Rembertum sequimur, et hoc loco, ut antea monuimus, non possumus quin hoc faciamus, Hamburgum combustum erat ante æstatem anni 843,

---

[1]) SS. RR. DD. 1, 488.

[2]) Probabilius tamen hoc anno 843 accidit, ex sequenti enim (SS. RR. DD. 1, 489) discimus, eodem tempore cellam Turholtensem illi ablatam esse, nisi ex chron. Corb. (Wedekind 1, 383) cellam anno 842 ablatam esse dicas.

quo tempore, pace Verodunensi finita, Turholt in partem cessit Caroli. Jam vero quo anno? Ad. Bremensis[1]) hoc ad annum refert 840, ita narrans: "excidium Hamburgi historia non tacet Francorum et privilegia Romanorum. Hoc, ut ajunt, factum est anno Ludovici senioris novissimo." Licet vero hoc "ut ajunt" cum Staphorstio[2]) ad relationes orales referre,[3]) et fidem Adamo negare, quum chronicon Corbeiense, a coaevis conscriptum, ad annum 837 et combustionem Hamburgi et seditionem Sveonum referat[4]). Cum eo igitur nos quoque hic facimus.

Sed dixerit forsan aliquis, contra nos faciens, si per plures annos, postquam Hamburgo ejectus erat Ansgarius, etiamnum plenus illi aderat usus cellæ istius divitissimæ in Flandria, cur non eo abiit? Quomodo Rembertus scribere potest,[5]) "illum cum fratribus congregationis, cum sanctis pignoribus, huc illucque vagantem, nusquam sedisse quietum?" Quid impedivit? — Fortasse ea, quæ

---

[1]) 1, XXI.

[2]) K. Gesch. 1, 36.

[3]) Albertus Stadensis (chron. 90 b), qui Adamum plerumque excerpsit, et chronicon Slavorum (Lindenbrog 253), ex fontibus ignotis seculo decimo tertio conscriptum, annum Adami adoptant.

[4]) Wedekinds Noten 1, 382.

[5]) SS. RR. DD. 1, 456.

jam, antea videntur illi in apostolatu impedimento fuisse, dissidia inter hæredes regni Carolingici, antea inter patrem et filios,[1]) nunc inter fratres. Ludovico enim pio anno 840 mortuo, bellum exarsit, quod Ansgarium a Turholto visitando[2]) et fructibus ab ista cella petendis, detenuisse videtur, donec omnino illi erepta est. — Fortasse idcirco vagasse dici potest, quod cella Turholt nimis distabat a provincia gentilium Ansgario concredita.

Et nunc, disquisitione de eversione Hamburgi finita, solummodo observandum est, antiquissimum et firmissimum testimonium vitæ Ansgarianæ, non debili computatione chronici Corbeiensis roboratum, nobis certe non everti posse, illis, quæ duo annales, quorum alter alterum excerpsit, tradiderunt.

---

1) Cimbr. litt. 3, 14 et 15 auctor suspicatur, et quidem verisimiliter, confirmationem Ansgarii in episcopatum Hamburgensem per pontificem Romanum demum 834 sequutam esse ob dissidia regem inter et filios.

2) Münterus asserere videtur (1, 316), usum cellæ Turholtensis Ansgario seni etiamnum adfuisse, sed vetus scholiastes Adami (ad pag. 20 n. 5 ed. Maderi, post librum Adami impressus) cum illo conciliari nequit: "Turholtz monasterium Flandriæ nobilissimum est, monachis insigne, pro quo recuperando vetus querela est ecclesiæ nostræ pontificibus. Adelbertus autem archiepiscopus ad eam finem perduxit negotium, ut, dato concambio, quæstio removeretur, quod Cæsar et dux Flandriæ collaudabant."

Rembertus ita cum præsule suo in maximis versatus est angustiis post annum 837. De quo tempore Adamus Bremensis [1]) narrat his fere verbis: "a quadam venerabili matrona prædium Ramsolam Ansgarius accepit, qui locus, in episcopatu Ferdensi positus, ab Hamburgo non nisi tribus disparatur rastis. Ibi Apostolus noster coenobium constituens, gregem profugum collegit, depulsosque e gentibus profugos in eo portu retinuit, et ex eo loco Nordalbingos visitavit, prædicatoresque misit in Daniam et Sveoniam." Acta sanctorum [2]) hæc Adami suspecta faciunt, sed ex silentio Remberti nil probari potest, et verba ejus, quæ contra Adamum proferuntur: [3]) "in hac provincia (Germania) nullam cellam huic legationi habebat congruam," nihil valent; quis enim cellam Ramesloensem parvulam legationi Ansgarianæ "congruam" diceret?

Tandem, certaminibus intestinis finitis, sol clarior toti Germaniæ fulgens nostris quoque solatium pollicitus est. Ludovicus rex Ansgario contulit episcopatum Bremensem anno 849 [4]), illumque cum Ham-

---

[1]) 1, XXIII; cfr. vetus scriptum de ecclesia Bremensi SS. RR. DD. 1, 367 et chronicon Slavorum (Lindenbrog 253), quod hanc cellam ab Ansgario 841 fundatum esse, perhibet.

[2]) 1, 392.

[3]) SS. RR. DD. 1, 461.

[4]) SS. RR. DD. 1, 465 sqq.

burgensi conjunxit, quæ conjunctio a Nicolao papa 858 demum confirmata est[1]). Sic, omnibus necessariis instructi, nostri nihil cogitarant, nisi regiones adire septentrionales. Ansgarius in Daniam abiit, et, quod probabile est, quamquam nusquam commemoratur, Rembertus cum illo. Hic, ubi Hareccus, ut videtur[2]), totum tenebat regnum Daniæ, omnia prospere evaserunt; rex, mansuetudine et magnitudine animi Ansgariani permotus, permisit, ut ecclesia Sleswici[3]) anno 851 seu 852

---

[1]) Adamus Br. 1, XXVII; chron. Corb. (Wedekind 1, 383) 860 nominat.

[2]) SS. RR. DD. 1, 469: "qui tunc solus monarchiam regni tenebat Danorum." Fornmanna sögur 11, 406 hoc nomen regi nostro imponitur, et quum epistola papalis (Staph. 1, 32) annales Bertiniani (Du Chesne 3, 201), Adamus Bremensis et ipse Rembertus "Oricus" et "Horicus" scribant, quum præterea ex SS. RR. DD. 1, 474 appareat, nomen "Ericus" non Remberto fuisse ignotum, non dubitamus cum Grundtvigio (Dannevirke 3, 131 not. (2)) regem "Harecum" salutare, licet Chronicon Erici (SS. RR. DD. 1, 157), Grammius in notis ad Meursium, Suhmius, Langebekkius, et alii "Ericum" illum nominent. Nomen nostrum cum Anglorum "Harry," Germanorum "Heinrich" convenit cfr. Münter K. Gesch. 1, 371.

[3]) Nomen urbis a "Slia" et "vig," verbo saxico, non "sinus," sed "urbs" denotante, (cfr. Brunsvig, Sandwich) derivatur, et hoc quidem ad idioma saxonicum pertinet: Dani Heidabær urbem vocabant (Fornmanna sögur 11, 312 et periplus Otheri et Wulfstani SS. RR. DD. 2, 116); unacum Ripa inter vetustissimas annumeranda est.

exstrueretur. — Sed jam, neque his, neque propagatione crescente religionis Christianæ in Nordalbingia contentus, iter majus ad Sveciam archiepiscopus paravit et anno 853 [1]) incepit, optimis instructus testimoniis et litteris, tam a rege Danorum [2]), quam a rege Germanorum [3]). Ex portu Slesvicensi, ut mos erat [4]), egrediens, intra viginti dies Bircam [5]) navem appulit, ubi omnia interea in detrimentum Christianorum conversa erant, quum quidam, fortasse sacerdos, in comi-

---

[1]) SS. RR. DD. 1, 473; chron. Corbeiense annum longe seriorem 861 nominat (Wedekindi Noten 1, 383).

[2]) SS. RR. DD. 1, 473.

[3]) SS. RR. DD. 1, 472.

[4]) SS. RR. DD. 1, 443; et Ad. Br. ex ed. Maderi 139.

[5]) De oppido Birca cfr. SS. RR. DD. 1, 444 sqq., et Wistrandi dissertationem, præside Lundblad habitam, "de Birca et Sigtuna, una eademque civitate," unde liqvet, Bircam ad fines Gothorum pertinuisse, et nomen hoc ab Adamo, Remberto, aliis Germanis, Saxone usitatum, idem significare, ac nomen Islandicum "Sigtuna vetus;" fortasse eo discrimine, ut Birca, secundum notionem verbi in lingvis Gothicis, sit arx oppidi, sive palatium regis. In insula Björkö in lacu Mælar, quo breviaria Svecica (SS. RR. DD. 1, 634 et 636 nominatur "Birchoe" et "Byrkö") oppidum referunt, illud non situm fuisse monstrat Wistrand 6 et 7. De vetustate urbis cfr. catalogum Saxonis ad proelium Braavallense, ubi Sigmundus quidam de Sigtuna commemoratur, quem Saxo "forensis athleta" et Sögubrott "kaupángs kappi" (fornaldar sögur 1, 381) nominat. Etiam tempore recentiori huc doctores Christiani petierunt cfr. Formmanna sögur 3. 165.

tia prodiisset, qui animum consilium, sopore confectum, ad vigorem revocavit, asserens, se ad immortales deos venisse, et secreta illorum concilii de salute populi audivisse. Fides vero firma et constantia Ansgarium in hoc summo periculo non deseruerunt; omnibus ut abiret suadentibus, ille "non", inquit," hoc faciam, quia si Dominus meus ita disposuerit, pro ejus nomine paratus sum hic et tormenta subire et mortem pati." Etiam hic Rembertum invenimus, jam tanquam sacerdotem initiatum, Ansgario adstantem, et ex modesta commemoratione in vita Ansgariana [1]), intimus patet amor inter illos, qui, quantum fecerit ad Ansgarium corroborandum, haud difficile est intellectu. Neque constantia illorum sine præmio fuit; in comitiis publicis Svecorum vox audita est oratoris [2]), pro Christianis facientis, quam populus et rex secuti sunt; religio Christiana vindicata, ecclesiæ exstructæ [3]), multi baptizati

[1]) SS. RR. DD. 1, 475: "sacerdoti, sibi in omnibus familiarissimo post missam denunciavit, nihil se trepidationis habere debere, quia secum gratia Dei comitaretur."

[2]) Fortasse illius, qui inter Svecos veteres "Lagmand" vocabatur, de cujus auctoritate cfr. Snorro ed. Holmensis 2, 113.

[3]) Jam una, fortasse duæ ibi aderant (SS. RR. DD. 1, 448 not. (d)), tamen Herigeriana ex conjectura probabili Lagerbringii (Sverrigs historia 1, 506) non nisi sacellum erat.

sunt [1]). His itaque peractis apostoli, deo gratias persolventes, reversi sunt, et non opus erat, ut postea, Ansgario vivente, iter istud periculosum renovaretur, quum sub variis episcopis, postea eo ablegatis [2]), quorum ultimus Rembertus Danus erat, ecclesia in dies major fieret.

In Jutia interea, defensore fidei Hareco 854 in proelio occiso [3]), successor ejus Harecus junior inimicum novæ religionis se præbuit; et jam archiepiscopus noster anxius factus est, et novum iter in Daniam paravit, quum animus regis subito mutaretur, ita ut apostolos ad se venientes lætus

---

[1]) Auctor anonymus hist. archiep. Br. (Lindenbrog 70) rumorem nobis adfert de Olavo, rege Sveciæ, ab Ansgario baptizato, quem Langebekkius (SS. RR. DD. 1, 477) suspicatur ex diario Ansgariano petitum, Krusius vero (St. Anschar 299) omnino spernit. Fortasse media via ingredienda est, et regem cruce signatum esse (primsignet) dicendum; hoc certe cum narratione Remberti conciliari potest. In Dania, ubi, ut videtur, rex idem postea (cfr. chronicon Erici SS. RR. DD. 1, 157, Ad. Br. 1, XLIV, qui ex narratione regis Svenonis hausit, Suhms Kritisk Historie 3, 779, Hist. 2, 223) regnum tenebat, nulla adsunt vestigia, illum Christianum fuisse, quamquam Suhmius (Hist. 2, 235), sed contra Ad. Br. 1, XLIV, hoc sibi elegit.

[2]) SS. RR. DD. 1, 482 et 483.

[3]) SS. RR. DD. 1, 480 sqq. etiam hic chron. corb. (Wedekind 1, 383) et Sögubrott (Fornmannasögur 11, 106) annum post 861 elegerunt.

reciperet[1]), religionem Christianam in toto regno nunciari permitteret.

Addit nunc auctor noster[2]): "in alio quoque regni sui vico, Ripa vocato, similiter locum, ubi ecclesia fabricaretur, tribuit, et ut ibi sacerdos praesens adesset, suae potestatis licentiam dedit;" cum quibus optime conveniunt Adamus Bremensis[3]), Fornmanna sögur[4]), annales Corbeienses[5]), auctor historiae archiepiscoporum Bremensium[6]), et ex omnibus his non possumus, nisi cum Langebekkio[7]) pro certo statuere, ecclesiam ibi, vivo etiamnum Ansgario, exstructam, et Remberto[8]) nostro traditam esse, licet viri doctissimi ex gr. Grammius[9]) et quodammodo Münterus[10]) hoc in dubium vocaverint, inprimis quia annales Fuldenses testentur, hanc partem regni ab Hareco, Rereco donatam esse anno 857, contra quos vero Langebekkius[11]) dis-

---

1) Cfr. epistolam Nicolai ad regem datam (Staph. 1, 52 sqq.)

2) SS. RR. DD. 1, 482.

3) 1, XXVIII.

4) 11, 406.

5) Ad annum 860 apud Leibnitz 2, 298.

6) Lindenbrog 70.

7) SS. RR. DD. 1, 482.

8) Cfr. antea in dissertatione nostra pag. 23

9) Not. ad Meursium p. 124.

10) K. Gesch. 1, 313.

11) SS. RR. dD. 1, 482 not. (y).

putat, et quia Rembertus omnino sileat de exstructa ecclesia, de venia sola exstruendi verba faciens; sed hic observabitur, quod sexcenties diximus, Rembertum de se ipso et de suis modo obiter locutum esse, præterea illum hoc temporis puncto Ansgario non, ut solebat, adfuisse, quod ex narratione in vita Ansgariana [1]), ubi ad alios provocat testes, patet. Quod exstat in vetere scripto Bremensi [2]), Rembertum ecclesiam Ripensem fundasse, æque bene de tempere ante, ac post mortem Ansgarii explicari potest. — Jam utrum 860, an fortasse etiam postea (si proelium 861 habitum esse dicimus), cui sententiæ annales Corbeienses favent, an ante 857, fortasse 855 et 856, quod Langebekkius [3]) suspicatur, cum quo etiam Rembertus stare videtur, ecclesia exstrui cœpta sit, certis testibus destituti, dignoscere nequimus; sufficiet, ecclesiam, jam vivo Ansgario exstructam, a Remberto nostro administratam esse [4]).

Non referunt nec vita Ansgariana, nec annales cæteri istius ævi, quid Rembertus in regione hac Daniæ egerit ad fidem Christianam propagandam, et er-

---

1) SS. RR. DD. 1, 490 et 494.

2) SS. RR. DD. 1, 367.

3) SS. RR. DD. 1. 482.

4) De hoc cfr. supra. De Remberto presbytero, non episcopo, Moll. Cimbr. litt., 3, 601, contra quem vero SS. RR. DD. 1, 552 facit.

rores ethnicos dissipandos, diligentissimum tamen illum fuisse dubitare neqvimus, utpote dilectum discipulum impigerrimi illius septentrionis apostoli, et, qvod infra monstrabitur, sedulum in archiepiscópatu verbi divini inter ethnicos prædicatorem. — Adamus Bremensis [1]). Harecum juniorem religionem assumpsisse Christianam testatur, et epistola Nicolai papæ [2]) ad illum data hoc probabile facit, tantum non ante annum 858 vel 864 [3]) accidderit, quo tempore epistola demum prodiit. Num vero rex baptizatus est, an solummodo cruce signatus, et, si baptizatus, a quo tandem? Rembertus tacet, nec post 858 ullum unqvam commemorat iter Ansgarii in Daniam; at narratio Islandica [4]) auctor Bremensis anonymus [5]), Ericus Olai [6]), inaugurationem regis Ansgario attribuunt, ita ut tribus his testibus haud spernendis hoc statuere cogamur. — Fragmentum Bremense [7]), quod de Remberto narraverat, illum ecclesiam Ripensem fundasse, addit "regem Da-

[1]) 1, XXVIII.

[2]) Staph. 1, 52 et 53 cfr. Saxo ed. Steph. 178.

[3]) SS. RR. DD. 1, 550 et 558.

[4]) Formanna sögur 11, 406: "Ansgarius biskup fór þá enn til Danmerkr á fund Háreks ok skirdi hann."

[5]) Lindenbrog 70: "regem Daciæ baptizavit (Ansgarius)."

[6]) Suhms Kritisk Hist. 3, 771.

[7]) SS. RR. DD. 1, 367.

nisse baptizavit," et, quando respicimus ad diuturnitatem temporis, quo ille apostolatui septentrionali omnia sua impenderet, et relationes mancas, verisimilius omnino est; at, utrum hoc tanquam pastor Ripensis, an archiepiscopus fecerit, qui rex ab illo baptizatus fuerit, omnino non liquet.

Ansgarius interea, itineribus periculosis ad conversionem septentrionalium fractis, in sede sua se plerumque continuit, ad gubernationem ejus internam animum advertens, et, quoties tempus sineret, in solitudine cum paucis precibus et divinæ philosophiæ indulgens. Rembertus, ut videtur, non illi adfuit, consolatione dulci per amorem officio et saluti gentium postposita; certe ex itinere, quod in Nordalbingiam suscepit [1], discimus, Rembertum non hic ut alias semper illum secutum esse. Anno demum Ansgarii ultimo, cum mense Septembri 864 dysenteria jugi laborare coepisset, Rembertus, quod probabile fit, munus sibi injunctum deseruit, ut consolationem necessariam patri suo Bremæ degenti præberet. Nam hic non morbo corporis solo anxiebatur, at potius mentis, contristatus admodum, quod mors morbo allata finem vitæ suæ imponeret, quum tamen sperasset, et quidem ob visiones nocturnas

---

1) SS. RR. DD. 1, 490 et 491: "ut quidam cum eo comitantes dicerent."

pro certo, se corona martyrii decoratum in coelo transiturum. Nunc amor fidelissimi discipuli apparuit, omni modo Ansgarium consolari studentis: non a Deo promissum esse, ut gladio trucidaretur, aut igne cremaretur, aut in aqua necaretur; molestias innumeras, quas antea subiisset, hanc ipsam infirmitatem gravem, qua anxiaretur, satis superque pro martyrio haberi posse.

Verum inter hæc morbus Ansgarii gravior factus est, et, quum jam de vita desperaretur, fuerunt, qui ab illo peterent, ut successorem suum designaret[1]), quibus ille: "non sum dignus, inquit, ut hunc designarem, quippe qui fortasse in episcopatu multos offensos habuerim; tamen de meritis Remberti sciatur, quia dignior est ipse archiepiscopali, quam ego subdiaconatus officio." Triduo tandem ante obitum filio dilectissimo patefecit, quod supra probabile fecimus, illum diu antea præsagiisse, nimirum ipsum Rembertum successorem sibi fore[2])." Tum ille reniti coepit, ad tantum ministerium nec viribus nec meritis se idoneum esse proclamans, cui sanctus episcopus, Dei dispositionem esse commemorans, quod ipse prædixit, competentes admonitiones adjunxit, quod suam voluntatem ad divinæ dispositionis judicium

---

[1]) SS. RR. DD. 2, 133.

[2]) SS. RR. DD. 2, 134.

inflectere deberet, juxta illud beati Thomæ apostoli, domino dicentis. Dominus meus es tu et ego servus tuus, fiat voluntas tua. Ad hæc gloriose Remberto reniti vel contraire constantia defecit, quando episcopum divinitus hæc accepisse sciebat." — Rembertum antea de episcopatu non cogitasse, et verum quid ergo, ex intimo corde profectum, nullo modo fictum esse, quod contra hanc dignitatem reluctatus sit, jam Münterus [1]) observavit, vitam Rembertianam monstrare, ubi exstet de voto ejus, post mortem Ansgarii vitæ monasticæ indulgendi.

Die 3 Febr. 865 Ansgarius tandem mortuus est, Remberto illum ad finem usque vitæ adstante; quorum amor intimus etiam hic ex relatione Remberti [2]) se exhibuit. "Quum enim Ansgarius versiculos hos repeteret: "Deus propitius esto mihi peccatori," et, "secundum misericordiam tuam memento mei propter bonitatem tuam Domine," et, "in manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, tu redemisti me, Domine, Deus veritatis;" et anhelitu jam ea frequentare non valeret, cuidam fratri præcepit, ut hæc eadem, vice illius, caneret. Sicque, oculis in coelum intentis, domini gratiæ commendatum spiritum exhalavit vitæ." His vita

---

1) K. Gesch. 1, 324.

2) SS. RR. DD. 1, 493 et 494.

Remberti [1]) addit: "hic ergo, quem vice sua verba orationis pro se frequentare praecepit, Rembertus fuit; cui in loquelæ suæ defectu voti sui verba commendans episcopus, per eum se compensare credidit, quicquid ipse minus orationum jam moriens peragere posset, quoniam et propter vitæ ejus meritum pro se illum exaudiri non dubitavit, et quod ille fecit non discrevit ab eo, quod a se ipso factum fuisset."

Rembertus archiepiscopus Hamburgo-Bremensis eligitur; de relatione illum inter et ideas temporis illius ecclesiasticas.

Ita Remberti animum vidimus jam ex pueritia prima sanctis deditum laboribus, studio Ansgarii præceptoris et amici efformatum, et ad summam maturitatem perductum. Annos quadraginta, vel quod aliquantum excedit, natus, missionibus non minus ac internis ecclesiæ officiis initiatus, intimus Ansgarii amicus, non potuit, quin optime omnia post mortem illius administraret, consilia ejus ad conversionem gentium saluberrima sequeretur.

Et quod nos ita vidimus, vidit clerus omnis,

---

1) SS. RR. DD. 1, 133.

et populus, qui præsagiis quoque et consilio Ansgarii ductus, unanimi consensu mox ipso die[1]) tertio Februarii, s. postridie[2]), Rembertum dignitate archiepiscopali ornavit[3]). — Advenientes nunc Thiadricus, episcopus Mindensis et Adalgarius, Abbas Neocorbeiensis, ad regem Ludovicum novum archiepiscopum duxerunt, qui illos blande et honorifice recipiens investitura per baculum pontificalem Rembertum in dignitate firmavit[4]); et, quum bulla Gregorii consecrationem episcoporum Hamburgensium regi dedisset curandam, donec numerus episcoporum consecrantium ex episcopis septentrionalibus suppleretur[5]), et nunc non nisi unus, Rembertus, episcopus Sveciæ, es-

---

[1]) Quamquam fuere, qui statuerent, corpus Ansgarii die 4 Febr. terræ mandatum esse (cfr. Staph. 1, 63 SS. RR. DD. 1, 494), nos cum Langebekkio facimus, qui, loco allato, ex evidenti testimonio Ad. Br. (1, XXXI: "cujus depositio summa veneratione colitur III Non. Febr.)" et occultiori vitæ Ansgarianæ (SS. RR. DD. 1, 494) illum die 3 Febr. sepelitum esse perhibet.

[2]) Wedekind 1, 384 sq.

[3]) SS. RR. DD. 2, 134 Ad. Br. 1, XXXI. Cimbr. litt. 3, 602.

[4]) SS. RR. DD. 2, 135; chron. Corb. (Wedekind Noten 1, 384) Ad. Br. 1, XXXII. Contra hæc editores Jesuitici Act. SS. 1, 557 & 563 reluctantes, a Staphorstio 1, 64 refelluntur.

[5]) Cfr. bullam apud Staph. 1, 32: "consecrationem vero succedentium sacerdotum, donec consecrantium numerus ex gentibus augeatur, sacræ palatinæ providentiæ interim committimus."

set, et ille provinciam teneret longe remotam, Rembertus noster, jussu regis Moguntiam ductus [1]), a Luitberto, archiepiscopo Moguntiensi, Luidhardo episcopo Padraburnensi, Thiadrico, episcopo Mindensi, consecratus est tempore vernali [2]). De qua consecratione biographus Rembertianus, quoniam eo quidem tempore lis de episcopatu Bremensi, archiepiscopatui Coloniensi suffraganea, renovata erat [3]), uberius loquitur, addens: "quos (episcopos) ita permixtum adesse idcirco placuit [4]), ut tam hujus consecrationis actio, quam etiam Domini Ansgarii primitus ad sedem ipsam simili modo facta ordinatio, in signum esset futuris temporibus, quod ad nullam nominatim condioecesitatem quorumcumque episcoporum pertineat, ad hanc sedem consecrare episcopum, sed tantum, ut diximus, Palatinæ hoc commissum est providentiæ, donec consecrantium numerus ex gentibus suppleatur."

Quæ restabant, donatio pallii, et confirmatio papæ, bulla, mense Decembri ejusdem anni scrip-

---

1) Ad. Br. 1, XXXII.

2) SS. RR. DD. 2, 135 not. (p).

3) Act. SS. 1, 563 cfr. de hac lite incipiente vitam Ansgarianam, SS. RR. DD. 1, 466 sqq.

4) Unum, sc. Thiadricum, Coloniensi, alterum, Luidhardum, Moguntiensi archiepiscopo suffraganeum.

ta [1]), postquam, ut mos jam tunc erat, confessionem fidei Romam misit, allata sunt. Ex qua bulla patet, quod Münterus [2]) observavit, auctoritatem papæ tempore brevi ex 858 [3]) ad 865 in Germania quoque septentrionali ita adauctam esse, ut idem papa, qui Ansgario pallium tribuerat, quo in omnibus missis sacris uteretur [4]), Rembertum jam finibus in usu illius circumscriberet [5]). Sed eo quoque tempore throno apostolico ille insedebat, qui sæpissime cum Phocio

---

[1]) Ad. Br. 1, XXXII Staph. K. Gesch. 1, 65 sqq.

[2]) K. Gesch. 1, 326.

[3]) Hoc enim anno bulla de conjunctione ecclesiarum Br. et Hamb. Ansgario data erat.

[4]) Staph. 1, 43: "nos pallium tibi ad missarum solennia celebranda tribuimus."

[5]) Staph. 1, 65: "pallium autem tuæ fraternitati ad missarum solennia celebranda concedimus, quod tibi non aliter, ecclesiæ tuæ privilegiis in suo statu manentibus, uti largimur, nisi solummodo in die sanctæ ac venerandæ resurrectionis domini nostri Jesu Christi, seu in natalitiis sanctorum apostolorum, atque beati baptistæ Johannis, nec non in assumptione beatæ genetricis Mariæ, simulque in dominicæ Domini nostri nativitatis die, pariterque in solennitatis ecclesiæ tuæ die, verum etiam in ordinationis tuæ natalitio concedimus die, sicuti a beatissimo prædecessore nostro, domino Gregorio, hujus almæ sedis præsule, sancitum est: in secretario vero tua fraternitas pallium induere debeat, et ad missarum solennia proficisci, et nihil sibi amplius ausu temerariæ præsumptionis arrogare, ne dum in exteriori habitu inordinate aliquid arripiatur, ordinate etiam, quæ licere poterant, amittantur."

Constantinopolitano, cum Lothario secundo, rege Lotharingiæ, cum Hincmaro, archiepiscopo Rhemensi litigaverat, quorum posteriorem, defensorem juris ecclesiarum optimum, eo usque tandem redegerat, ut Hincmarus omnia, quæ bene egerat, excusare, sive revocare cogeretur: ita, quod ad nos pertinet, in epistola, hac de causa scripta, assertio reperitur, illum non aliis diebus, quam quibus per papam ipsum liceret, pallio indutum fuisse [1]).

Et jam his monemur, ut de relatione papam inter et Rembertum nostrum dicamus; quum vero, quæ historice nobis innotuerunt, admodum manca sint, hic, ut alias sæpe in dissertatione, nihil restat, nisi ut, his paucis allatis, conjectura super hæc aliquid in usum nostrum convertamus. — Inspiciamus primum, quomodo notiones de potestate papali se efformaverint. — Nationes Gotho-Germanicæ, Gothi, Longobardi, Burgundiones, Franci, Anglosaxones, quæ super ruinas imperii Romani irruerunt, ardore juvenili ideas Christianas, quæ illis obviam venerunt, assumpserunt, et cum suis illas intime commiscuerunt, ut ex legibus illorum apparet. Dissidiis nunc inter ecclesiam occidentalem et orientalem ortis, quum simul potentia imperatorum Constantinopolitano-

---

1) Schroeckh Kirchengeschichte 22, 142.

rum in Italia diminueretur, ecclesia occidentalis cum nationibus occidentalibus arctius conjuncta est. Jam desiderium inter populos hosce, qui optimos et saluberrimos fructus novæ religionis perceperant, ortum erat, omnia auctoritati illius submittere, ita ut ille totam vitam penetraret, omnes relationes rerumpublicarum et hominum inter se renovaret et sanctificaret; jam igitur in animis illorum via hierarchiæ aperta erat. Sic ad tempora venimus Caroli magni, qui rex magnitudine sua animi elementa fervescentia, certe dum ipse vivebat, compescuit; ecclesia et respublica, utraque viguit pacifice; nondum lis orta erat, utra potentior esset; quando ad externa respicimus, respublica dominium super ecclesiam tenebat, quum etiam papa omnino a rege dependeret, quando vero ad interna, ecclesia prævalebat; nil sanctum erat neque firmum, quod non auctoritas ecclesiæ sanctum fecisset, ita quinetiam ipse Carolus dono demum papæ rex factus est. Sed brevi tantum status iste rerum duravit. Carolo mortuo quum reges debiliores illum sequerentur, potestas ecclesiæ crescebat, nunc principes exstiterunt papales, viri calidissimi, qui, quo ideæ temporis tenderent, perspicientes, ecclesiæ illam auctoritatem præbuerunt, quam totum seculum optavit. Ita enim, ex desiderio intimo populorum, non ex consiliis callidis paparum nonnullorum, neque ex perversi-

tate cleri et populi, illa explicanda est ingravescens auctoritas papalis, licet non negemus, multas fraudes, ut semper fit, huic inprimis initio accedisse. Quae quum ita sint, quid mirum, optimos seculi viros a parte paparum stetisse, illorum potentiam adauxisse, quum viderent hac demum illi desiderio satisfieri, quod commune esset omnibus Christianis? Et tales viri fuere apostoli nostri Ansgarius et Rembertus.

Quaenam esset sententia hujus posterioris de potestate papali jam exinde eruere possumus, quod discipulus esset Ansgarii. Quod enim fere semper valet, discipulum praeceptori esse similem, de Remberto quoque, fortasse sensu magis proprio, quam de pluribus, dici potest. Ansgarius jam intime cum papa Romano conjunctus, omnia fere in rebus ecclesiasticis, tantum non micrologica, ut Bonifacius [1]), ad auctoritatem illius retulit [2]), ita,

---

[1]) Neanders Denkwürdigkeiten. 3.

[2]) Jam ab initio inde missionis septentrionalis papa auctoritati suæ consuluerat, quod patet ex bulla Paschalis, Ebboni data (Münter K. Gesch. 1, 244 sqq.): "quatenus auctoritate beatorum principum, apostolorum Petri et Pauli, nostra fraterna vice, informato, ante corpus et confessionem ipsius principis apostolorum, evangelizandi publica auctoritate tradidimus in omnibus facultatem." "Et si fortasse ad hoc divinum officium pertinens aliquod dubium emerserit, ad sanctam Dei catholicam atque apostolicam Romanam ecclesiam recurrendo,

ut, unum modo afferam, conjunctio ecclesiarum Hamburgensis et Bremensis non rata videbatur, antequam papa Nicolaus illam probaverat. — At non exemplum solum antecessoris Rembertum ad omnia papæ subjicienda impulit, sed ipse illius placidus animus, ab omni dissidio, certe in ecclesia, alienus, non minus ac viri illi, qui tunc dignitate apostolica ornati erant, et status archiepiscopatus Hamburgo-Bremensis infirmior. Semper enim ævo et Ansgarii et Remberti et successorum, archiepiscopum vidimus Coloniensem inimicum sedis conjunctæ, quippe qui auctoritatem de episcopatu Bremensi, conjunctione hac eversam, vindicare studeret. Et quid tunc melius archiepiscopo Hamburgo-Bremensi, quam Romam, quæ præsidium sibi daret, refugere? Mox igitur post mortem Nicolai primi (867) ab Hadriano secundo petiit, ut dignitas archiepiscopalis sibi confirmaretur, cui etiam morem gessit papa, qui, licet ætate confectus et debilis, multo magis quam putandum esset consiliis antecessoris inhiaret, et decretalia spuria in usum suum converteret. Mense Novembri 871 confirmatio ejus, iisdem con-

---

semper ex ejus hauriat purissimo fonte latices, unde et a cordibus mortalium, divina interveniente gratia, noxios emendare possit errores.". "At si quis, quod non optamus, contrarius adversator huic divino cultui institerit &c., ex divina jussione et apostolica auctoritate anathematis vinculo puniatur."

dictionibus ac Nicolao¹); Remberto nostro concessa est. Non adsunt documenta, quae tale quid de Johanne 8 (872—882) nobis tradant, sed ex toto animo papæ hujus, qui neque victoria Arabum, neque dissidiis Germanico-Italicis prohiberetur, quominus auctoritati suæ consuleret, cogimur statuere, Rembertum se illi quoque humilem monstrasse; et hoc inprimis elucescet, statutis illis recte consideratis, quibus papa metropolitanum, qui non intra tres menses post ordinationem confessionem fidei sibi mitteret, et pallium a se peteret, dignitate privaret, donec hoc factum esset, et dignitate omnino privaret illum, qui pallio se indueret aliis diebus, quam quibus a papa esset concessum[2]. Quum tandem Marinus I, († 884), Hadrianus III, († 885), Stephanus V in omnibus vestigia premerent antecessorum, colligimus nostro jure, nil inter Rembertum et papas mutatum esse.

Ex brevibus annalium annotationibus Rembertus sæpius conciliis episcoporum et actis ecclesiasticis adfuit, et, quamquam pauca modo specialia ibi de illo occurrunt, notandum tamen est, quoniam monstrat, Remberti sententias de re-

---

¹) Verbi causa de pallio. Bulla hæc, quod Leo 4 Ansgario contulerat, ut crux ante illum portaretur, Remberto quoque dedit (Staph. 1, 67).

²) Schroeks K. Gesch. 22, 211.

bus ecclesiasticis cum episcoporum plurimorum Germaniae easdem fuisse. Actis concilii Wormatiensis, anno 868 de monasterio Novoheresiensi a Luidberto fundando et aliis rebus ecclesiasticis contra Graecos habitis, Rembertus subscripsit [1]; consecrationi ecclesiae sanctae Mariae in urbe Hildesheim anno 872 adfuit [2], nec non, ut videtur, conventui Francofurdensi die 4 Febr. 873 [3], in qua occasione miraculum, ab illo patratum, tradens biographus multus est, scilicet, quod filium regis, Carolum crassum, daemonibus liberasset [4]; ex conjectura porro Langebekiana [5]) cum ceteris Saxoniae episcopis concilio Coloniensi [6]) adfuit, in quo basilica nova Coloniensis initiabatur, et plura de libertate clericorum, atque propriis, quibus uti his liceret, bonis constituebantur, et quum jam ipse ob senectutem et morbum ingravescentem synodis adesse nequiret, Adalgarium, coadjutorem sibi constitu-

1) Schatenii annales Padrab. 1, 165 et Du Chesne 2, 561.

2) Du Chesne 3, 811.

3) Schatenii ann. Padrab. 1, 173.

4) SS. RR. DD. 2, 142. Ad. Br. 1, XXXVI.

5) SS. RR. DD. 5, 20 not. (i).

6) Quod Schaten. ann. Padrab. 1, 174, 873 habitum contra annales Fuldenses, qui (Du Chesne 2, 565) 870 statuunt, monstrant.

tum [1]), eo misit, interdum etiam aliis veniam dedit, sua vice concilium adeundi [2]).

Quem ita deprehendimus ideis ecclesiasticis deditum, quid mirum, curasse quoque, ut pater amantissimus dignitate illa, qua ecclesia doctores eximios honoraret, dignitate sancti decoraretur? Quamquam enim tacent antiquiores, habemus tamen de hoc testem Wolterum [3]), cui fides eo minus deneganda, quoniam Ado Viennensis, qui 875 diem obiit supremum, in martyrologio sanctorum mentionem faciat sancti Ansgarii [4]), et quoniam vita Ansgariana inprimis in capite XXXI et XXXIV [5]) testatur, quam intime canonisatio talis cum sententia Remberti de Ansgario con-

---

1) SS. RR. DD. 2, 143.

2) Ita, Drogonem Mindensem ad concilium misit Coloniense 887, SS. RR. DD. 2, 125.

3) Meibom. SS. RR. GG. 2, 25: "et post (Ansgarius) per Rembertum, admittente domino apostolico elevatus, et in catalogo sanctorum sequenti die nativitatis Mariæ adscriptus. Papa sanctissimus Nicolaus hunc canonisavit, præsente et multorum episcoporum synodo, non modico habito concilio:" hoc a papa Nicolao, ergo ante 867 factum esse apparet.

4) Staphorst K. Gesch. 1, 60: de die festo Ansgarii cfr. Cimbr. litt. 3, 29, act. SS. ad 4 Febr.; de reliquiis Münter K. Gesch. 1, 321; Suhm Hist. af Danm. 2, 256; de legendis super illum SS. RR. DD. 1, 621—642, de celebritate per totum orbem Christianum Krusii Anschar 228.

5) SS. RR. DD. 1, 489, 490, 494.

juncta sit; hæc enim fere tradit: "in omni oratione illius (Ansgarii) gratiam Dei cum eo comitasse, multis experimentis probavimus. Nam quod ipse, super gregis suæ custodiam sollicitus, multa sublimia videre promeruit, et in mente divinitus superna frequentius visitatione inspiratus sit; superius jam in multis comprehensum ostendimus. Denique etiam exterius gratia Dei in eo largius corruscante, sermo quoque prædicationis illius, multa svavitate perfusus, partim erat horribilis, ut certo probaretur indicio, infusione spirituali verba ejus moderari, quo, miscens terroribus blandimenta, vim divini jam prætenderet judicii, in quo veniens dominus et terribilis peccatoribus et blandus apparebit justis." Postea vero: "in quo solo pene omnium antiquorum vigebant exempla sanctorum. Siquidem, ut ab ipso statim electorum capite incipiamus, Christum inops inopem est secutus, cum Apostolis omnia dereliquit, et cum Johanne baptista, primævum tempus a turbarum frequentia remotum ducens, monasterii solitudinem expetivit. Ubi cum temporis processu quotidiano profectu excrevisset, et de virtute in virtutem ivisset, vas electionis ad portandum Christi nomen coram gentibus cum beato apostolo Paulo deputatus, pascendarum Christi ovium postmodum curam cum principe apostolorum Petro suscepit;" et infra: "o vere beatum et omni lau-

dis præconio dignissimum virum, quem totum ac tantum imitari, quem solum plurimorum aut simul habere virtutes contigit, qui, mente sanctus et corpore castus, cum virginibus agnum, quocunque ierit, sequetur, qui semper in confessione Christi perseverans, gloriosum admodum inter confessores nomen habebit, qui in sublimi illa cum apostolis judicum sede in regeneratione sessurus est, ac mundum, quem contempserat, judicaturus, et cum martyribus justitiæ coronam et palmam martyrii adepturus."

Cui hæc ita innotuerunt de Remberto, et qui genium seculi istius intuetur, et, quam intime vita monastica cum hoc conjuncta sit, quot bona exinde toti ecclesiæ redundaverint, vidit, ille a priori fere conjicere potest, Rembertum vitæ monachorum favisse, eo magis quoniam magnum ejus sanctitatis exemplum, Ansgarius, amore atque studio omnia istorum officia explevit. — De voto archiepiscopi nostri jam supra mentionem fecimus, mox igitur post ordinationem ad monasterium properavit novæ Corbeiæ, ut vestem monasticam Benedictinorum, ibi assumserat, obedientiam secundum regulam sancti Benedicti promittens [1]).

---

1) Chron. Corb. (Wedekind 1, 384) SS. RR. DD. 2, 135 & 136, ex quibus relationes Alberti Stadensis, Krantzii, annalium Corbeiensium, Wolteri, ceterorum partim exscripta sunt, partim excerpta.

Probabile est, illum ibi per aliquod tempus commoratum esse, postea vero ad munus archiepiscopale profectum 1); et, quum hoc a vita vere monastica amoveri posset, fratrem sibi quendam dari petiit, et datus est illi Adalgarius, monachus ex cognatis abbatis Adalgarii, vir, comes Remberti, et amicus, non in monasticis solis; qui et postea illi in dignitate archiepiscopali successit.

Qui uberiorem hujus notitiam optat, illum ad vitam Rembertianam 2) ablegatum volumus, ubi plura inveniet huc spectantia: at quantum ad vitam monasticam in episcopatu promovendam fecerit, exemplum nobis Adamus Bremensis et alii 3) servarunt, dum de ecclesia narrant conventuali, in solitudine Bureen cum canonicis secularibus ab illo in honorem dei et sancti Materniani, confessoris, 882 fundata. Vitae Ansgarianae caput XXX 4) multum est in sanctitate ascetica Ansgarii describenda, quomodo, ut beatus Maternianus, cilicio indueretur, quomodo jejunio nimio indulgeret, quomodo certis horis psalmos decantaret, et hoc, quod archiepiscopus noster accurate, diligenter,

---

1) Chron. Corb. (Wedekind 1, 385).

2) SS. RR. DD. 2, 136.

3) Ad. Br. 1, XXXVII; hist. archiep. Br. Lindenbrog 72; chronicon Slavorum Lindenbrog 283, ad annum 882, et plures cfr. SS. RR. DD. 2, 125.

4) SS. RR. DD. 1, 485 sqq.

pæne pedantice notavit, illum imitatum esse vix dubitari potest [1]). Præterea ex epistola, ad moniales monasterii nuper fundati Novoheresiensis data [2]), idem prodire videtur, hæc enim fere habet: "si igitur ad sublimissimam gloriam vultis pervenire, omni virtute incorruptionem corporis ac spiritus excolere debetis. Interioris enim fotu et pabulo puritatis subministrari, necesse est etiam exterioris hominis castitatem, eamque jugiter ad perseverantiam perpetuæ incorruptionis animari. Illæ namque sunt veræ atque incorruptæ virgines Christi, non, quæ metuunt, sed quibus non libet fornicari," et hoc modo perseverat illos admonere, inprimis ut superbiam omnem detestentur, et nos docere, hanc cenodoxiam ab illo, æque ac a patre ejus spirituali, Ansgario [3]), alienam fuisse, non hanc eum, sed sanctitatem internam, studio rerum monasticarum sectatum esse, et semper dictum Gregorii illi ante oculos versatum esse [4]): "unusquisque vestrum, fratres, magnus esse studeat, sed tamen magnum se esse quodam-

---

1) SS. RR. DD. 2, 132, ubi plura exstant de jejunio Remberti.

2) SS. RR. DD. 2, 139.

3) SS. RR. DD. 1, 485.

4) SS RR. DD. 2, 132.

modo nesciat, nedum sibi magnitudinem arroganter tribuit, amittat."

De systemate ejus theologico cæterum fere nil traditum est, nisi quod mediate ex opusculo de Ansgario eruere possumus, verum exinde colligimus, illud, quamquam, ut probabile erat, non ab erroribus seculi de sanctis, reliquiis, igne purgatorio etc. alienum, tamen veritatibus vere evangelicis primum locum dedisse, ita ut homines ab illo conversi non deastros commutarent cum coelitibus, sed cum vero Deo.

Dum ita Rembertum secuti sumus in relatione ad ecclesiam, unicuique se obfert, characteristicon illi fuisse veritatem internam. Multi quidem fuerunt, qui ita sanctitatem monasticam sectarentur, multi, qui ita se papæ addicerent, sed cursum idearum sæpe ob rationes sensuales, ob rationes haud probandas secuti sunt, pauciores tantummodo et optimi, ut revera illis, quæ intimus animus posceret, satisfacerent. At in nostro archiepiscopo aderat animus pius; nil ostentationis, nil vanæ gloriæ causa fecit; aderat ergo in illo, quod hominem vere decorat, et læta spe de illis, quæ credita ei sunt, nos imbuit.

De Remberto tanquam apostolo septentrionis.

Unumquemque, qui oculo intento antiquiores illas et certiores relationes de vita Remberti intuitur, fugere nequit, annum 876 epochum in conversione gentium quasi finire et incipere. Ex vita nimirum Rembertiana cap. XXII [1]) discimus, illum ob infirmitatem corporis ingravescentem jam a Ludovico secundo, rege Germaniæ, Adalgarium sibi tanquam adjutorem constitutum accepisse; factum ergo hoc est ante annum 876, quo rex ille mortuus est; sed non, ni fallor, diu ante, quoniam alias Rembertus, post annum 820 natus, senio gravatus dici non potuisset, et quoniam chronicon Corbeiense hunc annum elegit [2]). — Conjicimus igitur, illa, quæ traduntur de itineribus Remberti ad gentiles, æque ac itinera ejus ad synodos, ad annos ante 876 referenda esse. — Aliud quoque nos induxit, ut statueremus, post 876 ab emissis Remberti paucos admodum gentiles conversos esse, saltem in Dania et Slavia, nam, quod postea probabitur, hi gentiles post illum annum non, ut antea, expeditione, quæ singulis, non regibus et toti populo imputanda sit, sed expeditione a regibus ipsis ducti, Saxoniam et episcopatum Bremensem petierunt. — Optimum

---

1) SS. RR. DD, 2, 142.
2) Wedekind 1, 385.

esse videtur, præsertim, quum relationes accuratiores de actis Remberti desiderentur, ante annum 876 ea inprimis tractare, quæ ad externa pertinent, post annum 876 ea, quæ ad interna, ad gubernationem dioeceseos proprie sic dictæ.

Ex privilegiis paparum patet[1]), Anscario et successoribus conversionem Nordalbingorum, Danorum, Slavorum, Sveonum, fortasse etiam Norvegorum[2]) impertitam esse, unacum

[1]) Staphorst Kirchengesch. 1, 31, 39, 41 etc.

[2]) SS. RR. DD. 1, 451 not. (z) recte, quamquam Pertzii mon. Germ. 2, 768 et 699 quodammodo adversantur, suspicatur, privilegia, ut nunc adsunt, interpolata esse, et quidem tempore Adalberti, superbi illius archiepiscopi; simul additionem, quæ nonnunquam occurrit (Nortvehorum, Farriæ, Grönlandon, Helsingalandon Islandon, Scrivindon) spuriam esse: de Norvegis forsitan aliter se habuerit, quum non improbabile sit, rumorem istorum ad ecclesiam usque Romanam penetrasse, præterea quum in ipso privilegio, a Remberto SS. RR. DD. 1, 467 allato, mentio fiat de populis "ubicunque in illis partibus constitutis," et in privilegio Hadriani Remberto dato, hi soli numero vere genuino addantur (Staphorst K. Gesch. 1, 67). Svecus quidam, ingeniosius quam verius putat, nomina: "Eistlandia, Bjarmia, Schridefinni", quæ in bulla papali exstarent, in "Islandia, Farria, Scridfinni" commutata esse, cfr. Münters K. Gesch. 1, 282. Cæterum notandum est, quantum hæ interpolationes notiones paparum de rebus septentrionalibus perturbaverint, quum in bulla a Nicolao 5 de Grönlandis data 1448, terra ista dicatur jam per 600 annos religioni Christianæ dedita, eadem vero paullo post a rege sanctissimo Olao (Tryggvason † 1000) conversa, cfr. Graah Undersøgelses-Reise til Østkysten af Grønland, pag. 5 & 6.

dignitate legati papalis; confirmationem horum, ut jam antea notavimus, a Nicolao primo et Hadriano secundo Rembertus obtinuit. Conjuncta igitur ecclesia Hamburgo-Bremensis, cujus limites ex documentis antiquis [1]) cognovimus, opes illi ad conversionem gentilium suppeditabat; Rembertus ipse pro hac, quippe qua sibi ab Ansgario fere in ipso mortis momento [2]) injuncta, fervebat, mitis erat et placidi animi, magis etiam quam ipse Ansgarius, ita ut neminem unquam offenderet; in omnibus initiatus erat, omnia ergo etiam optime fluxerunt. Verisimile præterea est, Ludovicum regem, dum etiamnum vivebat et vigebat, sua fecisse, ut legatio Remberti prospere evaderet; a Normannis enim Christianis non illæ exspectandæ erant incursiones piraticæ, ac a gentilibus; at in vita Ansgarii regem invenimus per epistolas, apostolis creditas, reges gentilium propitiores fecisse religioni Christianæ; quid dubitandum ergo, quin has easdem, si opus esset, Remberto concrediderit, et tales admonitiones a rege forti, et, si credere

---

[1]) Ex scholiis antiquis ad Ad. Br., ed. Maderi post textum, epistola Caroli magni, Ad. Br. 1, X, SS. RR. DD. 1, 466. sqq., Lindenbrog 1, 180, Helmoldo Botzoviensi, Lübeck 1659 pag. 21 cfr. Delus über die Gränzen des Erzbisthums Bremen, Werningerode 1808. De ecclesiis inter gentiles Münter Kirchengesch. 1, 303, 329-330.

[2]) SS. RR. DD. 1, 493: "maxima tamen ejus (Ansgarii) cura et sollicitudo fuit de sua ad gentes legatione."

fas est[1]), Danis et Slavis adeo formidabili, ut nihil in Saxoniam tentare auderent, non sine effectu fuerint? Si hisce fortitudinem addiderimus et prudentiam illorum, qui evangelium gentilibus nunciarent, praecipuae nobis adsunt causae, externae ex parte Christianorum, quae septentrionem ad religionem Christianam adducerent. — Talem enim prudentiam et moderationem, qualis Ansgarii erat in itinere ejus Svecico secundo [2], raro invenies, et Rembertum hanc imitatum esse, fortasse etiam superasse, ex indole tota ejus nostro jure concludimus; quantum tandem in fortes istos veteres septentrionales talis animi fortitudo qualis Remberti polluit? quam merito Adamus Bremensis his verbis celebrat [3]: "et quia vastatio Nortmannorum et Danorum excedit omnem crudelitatem, eo plus mirum videri possit, quod sancti confessores Dei, Ansgarius et Rembertus, per tanta pericula maris et terrae illas gentes intrepidi adibant et praedicabant, ante quarum impetum nec armati reges aut potentes Francorum populi subsistere poterant. Nunc autem, quomodo defecit sanctus, quomodo diminutae sunt veritates a filiis hominum, vix possibile credi-

[1] Schaten ann. Padrab. 1, 168 et 180, cfr. Ad. Br. 1, XXXIV.

[2] SS. RR. DD. 1, 475 sqq.

[3] 1, XXXVII.

nus dies, genus ignavum, quod tecto gaudet et umbra, ut in illum asperi tempore praecedentibus, in tam feroci, quae visu hominum vivit, antiquo, in tam remotissima, inquam, ab nostro mundo regione, quisquam vel apostolus audeat accedere, nescientes illud quotidie et nobis dici, quod Salvator ait discipulis: „ite in orbem universum, et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.“

Causam praecipuam internam ex praestantia religionis Christianae, et vi ejus divina ad animos omnium domandos et sedandos hic nominasse sufficiet.

Quando jam a parte gentilium causas spectemus, quae Christianismo illos propitiores facerent, occurrit, praecipuam ex animo ipso illorum petendam esse. Dum enim stirps magna Orientalium nondum eo usque pervenit, ut homo singulus vere tanquam hominem se sentiat, dum etiamnum omnes modo servili regi despotico se incurvant, dum Graeci lapsu tandem temporum ad libertatem et dignitatem personae sentiendam et aestimandam producti sunt, hanc videmus populis Scandinavico-Germanicis jam ab initio inde insitam. Viriliter individualitatem et dignitatem personae unusquisque illorum vindicat, quod ex relatione Taciti ex legibus, ex mythologia septentrionali, inprimis ex spe illorum immortalita-

lis personalis in Valhalla, ex tota vita illorum constitit. Dum vero ita sibi conscii facti erant, quid magni et divini homini inesset, necesse erat quoque, sensus illius, quod ad vitam integram et veram humanam degendam desideraretur, clarior illis esset, quam ceteris gentilibus; et hoc quidem, quod desiderabatur, religio Christiana obtulit, tanquam evangelium de amore Dei erga homines, et præceptum de amore hominum erga Deum et propinquos.

Ex illo sensu naturali divini in hominibus singulis, duo porro alia prodierunt, quorum vis ad Christianismum promovendam haud minima erat. — Tolerantiam ergà dissentientes priorem nomino. Jam in aula Rolvonis, regis illustrissimi Lethrensis, si Saxoni fides habenda [1]) est, adfuere, qui ideas de diis peculiares et liberiores foverent, et postea in historia septentrionali haud paucos invenimus atheistas, non minus ac deistas, ita Arnliotum Gellinam, Haraldum pulchricomem, regem Norvegiæ [2]), Thorkillum cognomine Máni [3]). At quam januam animus talis religioni novæ aperuerit, haud diffi-

[1]) Historia Rolvonis, Saxo lib. 2.

[2]) Snorro in narrationibus de Olavo sancto et Haraldo pulchricomi.

[3]) Finni Johannæi hist. eccles. Islandiæ I, 58 & 59.

cile est dictu, immo quidem tempore nostro in oratione Sveci cujusdam ad generale placitum Svebnum [1]) nobis ante oculos ponitur. — Amorem erga foeminas posteriorem nomino; qui, quam longe aliter hic se efformaverit, ac apud Græcos, aut orientales, nemo non vidit: foeminas vero in septentrione, ut ubicunque alias, sensibus piis, quas religio Christiana postulat, propitiores fuisse, vidimus ex gr. ex vita Ansgariana [2]); et nonne amor iste plurimum contulerit ad maritos et filios ferociores sedandos, ad religionem Christianam inter hos promovendam? — Porro quum veteres Scandinavi tam sincere sentirent, tam libere vindicarent dignitatem a natura homini cuique impertitam, necesse erat, nunquam ordo sacerdotum auctoritatem super illos obtineret, quam super alios populos; illa ergo causa, quæ alias propagationi religionis Christianæ obstabat, hic omnino non aderat.

Si tandem cum his causis illam conjunxerimus temporis conditionem, jam antea commemoratam, qua multi ethnici fortissimi, Islandi, Normanni, Jomsburgenses ad exteros exsularent, ut ibi vitam veterem, domi evanescentem, renovarent, non amplius mirabimur,

---

[1]) SS. RR. DD. 1, 476.

[2]) SS. RR. DD. 1, 462 et 465; cfr. Engelstoft om Kvindekjønnets Kaar hos Skandinaverne før Kristendommen.

tot optimos intra breve tempus ad religionem, primo obtutu veteri fore contrariam, conversos esse [14]. At nunc primum specialiora nonnulla de Dania colligenda sunt; quam intime connexio illa cum vivendi ratione populi in universum cohaereret, suo loco postea tractabimus.

Quoniam ob silentium veterum de insulis Danicis et Scania statuendum est, nunquam Rembertum ibi fuisse, nos hic, relationibus uberioribus de regibus Sjalandicis omissis, solummodo monemus, Canutum hirsutum († 883) religioni Christianae favisse videri [1]. Jam ad regulos Jutiae transimus. Harecum juniorem, quem antea Christianum factum esse diximus, Saxo[2]) tradit, Christianum mortuum esse; contrarium vero a fragmento Islandico perhibetur [3]), et alterutrum ergo eligere licet. Ex narratione fristilli annalium Danicorum [4]), cum fragmento Islandico comparata, illum anno 873 diem obiisse supremum proelia-

---

[1]) Saxo ed. Steph. 178: "hoc uno defendus, quod absque Christianae religionis insignibus e vita ad mortem transitum habuit," cfr. chronicon Erici SS. RR. DD. 1, 158: "mortuus est paganus," et Suhm Hist. af Danm. 2, 362.

[2]) Saxo ed. Steph. 178.

[3]) Fornmanna sögur 11, 407: "þá er sagt, at Hárekr kastadi kristni, ok dó litlu sidar."

[4]) SS. RR. DD. 2, 56 cfr. Grammii not. ad Meursium 125 not. (i).

bile fit, ita ut ea, quae chronicon regis Erici 1) tradit, non de illo, sed de successore ejusdem nominis sumenda sint. Ceterum verisimile est, illum brevi ante mortem, a Sigfredo et Halfdano maxima parte regni privatum, solummodo Jutiam septentrionalem retinuisse 2). Successor in his partibus Hardecnut fuit, tertius, sine dubio filius ejus 3); Jutiam vero meridionalem et partem quoque septentrionalis Sigfredus ille et Halfdanus tenuerunt, qui, ut Suhmius ex relatione Petri Olai suspicatur 4), a Remberto fautores religionis Christianae facti sunt; et fatendum est, hoc omnimodo probabile, et nusquam per totam seriem annorum Remberti inveniri annos, ad quos maxime pertinent, quae vita Rembertiana narrat, melius trahenda sint, quam ad hos tranquillos, ut videtur, annos ab 873 ad 876. Rembertus ergo nunc saepius adiit Danos et reges illorum, visitavit ecclesias ibi exstructas, Slesvicensem et Ripensem, et, quotiescunque ipse adesse non poterat, presbyteris illas commendavit, ne absentia detrimentum caperet religio Christiana inter gentiles 5).

1) SS. RR. DD. 1, 157.

2) Suhms Historie 2, 296.

3) Suhms critisk Hist. 3, 770.

4) Suhms Historie 2, 300.

5) SS. RR. DD. 2, 139.

Quousque Iutiam penetraverit, fontibus destituti dignoscere nequimus; non tamen probabile est, illum ad septentrionaliora cessisse; certe, si venerit, alicubi sine effectu fuit, Harico, religioni Christianæ inimicissimo, ibi regnum tenente. Novas ibi constitutas esse ecclesias, quod Langebekius suspicatur [1]), non probabile fit, et si ad silentium veterum respicimus, et si ad incrementum religionis Christianæ, quod nullo modo tantum fuisse apparet, ut duæ ecclesiæ, jam constructæ, huic non satisfacerent; ecclesia vero Arusiensis, quæ horum numero tertia accedit, ab Unnone videtur fundata [2]). Per presbyteros et monachos, quorum nomina aliquot in chronico Corbeiensi [3]) citantur, inter gentiles emissos, res ecclesiasticas direxit [4]); sed quæri potest, utrum episcopos constituerit, an minus; nobis vero prius verisimilius videtur, inprimis quoniam Adamus Bremensis [5])

---

1) SS. RR. 2, 139 not. (k).

2) Fornmanna sögur 11. 408: "Voru þá (sub Unnone) gervar upp kyrkjur, er eydst höfdu í Heidabæ ok Rípum; þá var ok i Árosi."

3) Wedekind 1, 385.

4) SS. RR. DD. 2, 139.

5) 1, XLII: "mirum tamen, neque satis cognitum est nobis, an aliqui episcopi in gentes ordinati sunt ab Adalgario, ut privilegium insinuat, an hæc ordinatio episcoporum inacta remanserit, usque ad dies Adaldagi, ut melius confidimus, præsertim quod vastatio barbarica vixdum presbyteros inter se morari consenserit."

de Adalgario demum narrat, ejus tempore episcopos ad gentiles non missos esse.

Quum tantum esset curæ episcopis primi ævi Christiani pro captivis redimendis, ut eos se quoque ipsos pro solutione talium tradentes [1]) videamus, nil mirandum, quod Rembertus, sicut antecessor ejus, in hac re sedulus esset. Quin etiam vasa altaris sacra pro captivis porrexit, et a quodam idcirco reprehensus: "non ignoro, inquit, res ecclesiastici officii digne esse tractandas, et sub magna fore obligatione ad hoc opus depositas. Verum tamen plus est apud Deum per hæc subvenire captivis Christianis, in angustia constitutis, quam esse possit, depositum ista custodiendi. Et, si necessitas incubuerit duorum bonorum unum eligere et alio carere, oportet assumere, quod est melius, et relinquere, quod habetur inferius. Unde et ego, quum nullum aliud habeo consilium, non impie ago, si Christianum qui filius Dei est, cum thesauris ecclesiæ redimo: quum et semper invenire possimus, quod ad usum sacri sufficiat ministerii, irrecuperabile autem sit, si Christianus in captivitatis afflictione deficiat [2])." Quondam Slesvici commoratus vidit multos Christianos captivos, inter quos monialis

---

[1]) Ita Krays allg. Weltgesch. 17 Th., 1 B., 105.

[2]) SS. RR. DD. 2, 140.

quædam ab episcopo redemptionem petiit; Rembertus jam, quum gentiles nihil pro hac recipere vellent, nisi equum ipsius, de hoc prosiliit, et paganis illum tradidit [1]. — De cura ejus pauperum biographus testatur, scribens [2]: "extra episcopatum, ubicunque fuisset, semper constitutos habebat, qui pecuniam in sacellis ad dandum pauperibus gestarent, ipseque ad hoc ipsum in zona sua marsupio cum nummis semper utebatur, ut, si quando dispensator eleemosynæ suæ in adventu egentis deesset, ipse sine mora haberet, quod daret. Inerat enim ei sollicitudo, ne quis talium a se sine levamine abscederet, suisque, ut facerent similia, jugiter adhortationem faciens, dicere solebat: non tardandum est, ut cunctis pauperibus succurramus, quia, quis sit Christus, vel quando ad nos veniat, ignoramus." Ita igitur agens, non potuit, quin animos gentilium flecteret, et hoc saltem perficeret, ut ecclesia Danica post Ansgarium non diminueretur. —

Jam antea monuimus, non pro certo evinci posse, quis fuerit ille rex Daniæ, quem Rembertus baptizaverat: de regibus Sigfredo et Halfdano cogitari non potest. Attamen reservatum est nobis exemplum, unde quid in animis regum istorum potuerit, sine

---

[1]) SS. RR. DD. 2, 140.

[2]) SS. RR. DD. 2, 137, cfr. idem de Ansgario narratum SS. RR. DD. 1, 487.

dubio colligi potest. „Nam quum rex Ludovicus tempore verno anni 873 in villa Biscesheit prope Wormatiam placitum haberet, venerunt illuc Sigefridi, Danorum regis, legati, pacis faciendæ gratia inter illos et Saxones, et ut negotiatores utriusque regni invicem transeuntes et mercimonia deferentes emerent et venderent pacifice. Quæ omnia rex ex sua parte rata fore permisit." Postea quum rex mense Augusto ejusdem anni generalem conventum Metensem haberet, „Halfdannus, frater Sigefridi, etiam suos ad eum nuntios misit, eadem postulans, quæ frater ejus postulaverat, ut rex legatos ad fluvium nomine Egidoram, qui illos et Saxones dirimit, mitteret, et illi, iisdem occurrentes, pacem ex utraque parte omni tempore stabilem confirmarent. Obtulerunt quoque iidem nuntii gladium regi pro munere, aureum habentem capulum, obnixe flagitantes, ut rex dominos suos, supradictos scilicet reges, in loco filiorum habere dignaretur, et illi eum quasi patrem cunctis diebus vitæ suæ venerari vellent. Jurabant etiam juxta ritum gentis suæ per arma sua, quod nullus deinceps de regno Dominorum suorum regnum regis inquietaret. Quæ omnia rex libenter accepit, et postulata se facturum spopondit [1])." Ita omnia hoc tempore

---

[1]) SS. RR. DD. 5, 47 cfr. Ad. Br. 1, XXXIII.

bona [illegible] sunt; sed paucis annis post, ut videtur 976, Halfdano, altero rege, expeditionibus in Angliam incumbente, Haraeus ex Jutia septentrionali, de altero Sigfrido victoriam reportans, regno depulsum in exilium egit, et religioni Christianae finem imposuit[1]). Rursus igitur angustiis premebatur archiepiscopus noster, quando vero nimis anxius animo erat, semper[2]) consolabatur continua meditatione sermonis apostolici: quia non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis. Ac sic, quaecumque fierent dura laboranti, mitescere solebant, eadem propter Christum sustinenti."

Pauca hic attulisse sufficiet de ea ratione, qua illi, qui Christianam receperant religionem in Dania, novas illius ideas cum veteribus conjunxerint; nam diu de illo disputare, nimis nos a proposito abduceret. Primum igitur monendum est, religionem novam in patria nostra, non ut apud Islandos[3]), tanquam rem civilem tractatam esse; illi enim mox post annunciationem evangelii, ut dissidia fugerent publica inter gentiles et Christianos, decreverunt, omnibus in Islan-

[1]) Suhms Hist. 2, 314.

[2]) SS. RR. DD. 2, 139.

[3]) Olaf Tryggvasons Saga in fornmanna sögur 2, 240. 901.

dia novam assumendam religionem, ita tamen, ut cuique liceret, et etiam diis sacrificia facere, et infantes exponere et carnem equinam edere; in Dania vero sensim sensimque religio Christiana, sive ideæ Christianæ de rebus divinis atque humanis, veteres permutarunt et penetrarunt, non tamen vere antequam Dani expeditionibus magnis in Angliam Christianam vivendi rationem melius cognoverant, non ergo ante tempus Canuti magni. Et sine magnis motibus et seditionibus hoc factum est, ita ut hic quoque in patribus eundem animum fuisse videamus ac in filiis tempore recentiore. Tradunt quidem relationes veterum de persecutione Hareci junioris [1]), Svenonis Haraldi filii in Christianos [2]); sed audimus, neque Christianam religionem ita populo intrusam esse ut in Norvegia ab Olavis, neque tales procreasse persecutiones quales in Svecia contra Ansgarium, a Blotsvend et aliis. — Porro a regibus hic plura, certe quam in Svecia, dependisse videntur, quod ex ipsa vita Ansgariana patet; dum enim ibi sermo semper est de populo et voluntate illius, sine qua rex nil auderet, in patria nostra rex vult, et populus voluntati illius non adversatur. — Si tandem quærimus, quo tempore illi, qui con-

---

1) SS. RR. DD. 1, 481.

2) Saxo in historia hujus regis.

versi sunt, verissimas et optimas ideas Christianas perceperint, non dubitamus, quin hoc nostrum nominemus, quoniam apostoli hujus, ipsi notionibus puriotibus imbuti, non potuerunt, nisi aliis easdem impertire; at postea evangelium a multis indignis nunciatum est. Idcirco non negamus, fuisse quoque hoc temporis puncto plures, qui ob rationes sensuales, ita ob cultum magnificum Christianorum, quo aures et oculi delectarentur [1]), ob gratiam apud reges ineundam [2]), Christianismo se addicerent; idque eo minus, quoniam tale quid redundat ex narratione de ethnico, qui in baptismo, ob vestes haud candidas iratus, se viginties baptizatum esse dixit, at nunquam tali veste indutum.

Quin Rembertus, per Nordalbingiam ad Danos proficiscens, ecclesias quoque Nordalbingicas visitaverit, et religionem Christianam, quam jam Ansgarius [illegible] per totam hanc regionem propagaverat [3]), corroboraverit, dubio caret; in populis Slavorum vero aliter se res habet. Audiamus ex relatione veterum, quot illorum, qui inde a seculo sexto totam septentrionalem Germaniam ex flumine Albi sibi subjecerant, ad episcopatum Hamburgensem per-

---

1) Fornmanna sögur 2. 200 & 237.

2) Snorro ed. Holmensis 1, 208.

3) Cfr. vitam Ansgarianam cap. XXXII.

tinerent. Hæc auctor chronici Slavici¹) tradit: "inter omnes boreales Winuli, sive Winiti infideles manserunt in ultima parte Saxoniæ. Transalbiam est Nordalbingia, quæ habet Thetmarsos, Holsatos et Stormarios, deinde incipiunt termini Winitorum, qui dicuntur Wagiri, et Obotriti, Kicini, Circipani usque ad urbem Demmyn (in Pomerania hodierna), ubi fines Hamburgensis parochiæ", et Helmoldus²): "Winuli sive Winiti magno ex parte Hamburgensem parochiam respiciunt. Nam præter honorem metropolitanæ sedis, quæ omnes nationes, sive regna complectitur aquilonis, habet utique Hamburgensis ecclesia præscriptos terminos suæ parochiæ, ultimam scilicet partem Saxoniæ, quæ est trans Albiam, et dicitur Nordalbingia, continens tres populos, Thetmarsos, Holsatos, Stormarios. Inde extenduntur termini ad Winithos, eos scilicet, qui dicuntur Wagiri, Obotriti, Kyzini, Circipani, et usque ad flumen Panim (Pene) et urbem Demmin. Ibi est limes Hamburgensis parochiæ³)." — Hos sibi concreditos Slavos Ansgarius tamen visitasse non videtur; solummodo pueros quosdam ex captivi-

¹) Lindenbrog SS. GG. 1, 190.

²) Pag. 21 ed. Lubeci 1659.

³) Cfr. Ad. Br. 2, X

tate redemit, quos, testante Remberto [1]), Turholti et in ipso episcopatu ad sacram militiam educavit. — His ita peractis, contigit demum anno 8[illegible]t Ludovicus, rex Germaniæ, sive, quod ali[illegible]dunt, Lotharius [2]) Slavos insulæ Rugianensis, qui ergo episcopatui Hamburgensi de jure erant subditi, bello vinceret, regem præcipuum Gestimulum occideret, cæteros regulos subigeret, et, quoniam victoria per intercessionem sancti Viti reportata diceretur, monasterio Neo-Corbeiensi, sancto Vito dicato, hanc totam insulam traderet [3]). Probabili conjectura haud diu post hunc annum illa monachorum missio facta est, de qua Helmoldus loquitur [4]): „tradit veterum antiqua relatio, quod temporibus Ludovici secundi egressi

---

[1]) SS. RR. DD. 1, 455: "cæpit quoque ex gente Slavorum nonnullos emere pueros, aliquot etiam ex captivitate redimere, quos ad servitium Dei educaret. Quorum quosdam hic secum retinuit, quosdam vero ad cellam Turholt nutriendos posuit." SS. RR. DD. 1, 489: "et quoniam omnis ei cura de vocatione gentium erat, ut eis in sua legatione prodesse potuisset, nonnullos pueros ex Slavis emptos in cella Turholt causa discendi, ad sacram militiam nutriendos posuerat."

[2]) Fortasse dissensio ex diversa interpretatione illius L sive HL, quod in scriptis vetustissimis exstaret, orta est, fortasse uterque princeps expeditionis erat particeps; cfr. SS. RR. DD. 1, 526 not. (x).

[3]) SS. RR. DD. 1, 527.

[4]) Pag. 21.

fuerint de Corbeia monachi, sanctitate insignes; qui, Slavorum salutem sitientes, impenderunt se ipsos ad subeunda pericula et mortes pro legatione verbi Dei. Peragratisque multis Slavorum provinciis, pervenerunt ad eos, qui dicuntur Rani sive Rugiani, et habitant in corde maris. Ibi fomes est errorum et sedes idololatriæ. Prædicantes itaque verbum Dei cum omni fiducia, omnem illam insulam lucrati sunt, ubi etiam oratorium fundaverunt in honorem Domini ac salvatoris nostri Jesu Christi, et in commemorationem sancti Viti, qui est patronus Corveiæ." Et huic relationi addimus, Ansgarium missioni eorum, quantum in se esset, auxilium tulisse, et pueros illos, ex gente Slavica emptos, sine dubio eo missos esse.

Ad tempora descendimus Remberti. Annis 867—869 Ludovicum, regem Germaniæ, cum Slavis nec feliciter, nec infeliciter certasse, antiquorum nobis tradit relatio, ita narrans [1]: "867 Ludovicus, rex Germaniæ, Ludovicum, filium suum, cum Saxonibus et Toringis adversus Abotritos hostiliter dirigit, et, reliquum populum regni sui paratum esse præcipit, quatenus mox, ut ipse jusserit, præparati, movere hostiliter pos-

1) Du Chesne SS. FrFr. 3. 228, 235, 237 & 238. Ad. Br. 1, XXXIV.

sint": "869 Ludovicus, rex Germaniæ, ab expeditione hostili de Vinedis, cum quibus præsenti et præterito anno, sæpe cominus sui congredientes aut nihil, aut parum utilitatis egerunt, sed damnum maximum retulerunt, revertitur," et "Ludovicus pacem sub quadam conditione apud Vinedos obtinere procuravit. Ad quam confirmandam filios suos cum Marchionibus terræ ipsius direxerat." His ergo annis nullus inter Slavos aditus Remberto et monachis illius patebat, contra vero, bello finito, haud improbabile est, illum, in omnibus Ansgarium sequentem, seminarium quoque ad gentes non neglexisse, et pueros Slavorum, ibi educatos, ad conversionem populi hujus emisisse. Monendum quoque, missionem illam monachorum Corbeiensium ad Rugianos non intermissam esse, immo chronicon Slavorum [1]) anno 876 demum illam incepisse tradit. At quomodo tandem hæc se habeant, missio monachorum haud diu post interrupta videtur, Helmoldo hoc tradente [2]): "postquam autem, permittente Deo, mutatis rebus, Rani a fide defecerunt, statim, pulsis sacerdotibus atque Christicolis, religionem verterunt in superstitionem. Nam sanctum Vitum, quem nos martyrem ac servum

---

[1]) Lindenbrog 1, 190.
[2]) Pag. 21.

Christi confitentes, ipsi pro Deo venerantur, cui etiam templum ac simulacrum amplissimo cultu dedicaverunt 1)." Etiam prœlio Ebbekestorpiensi Slavi adfuerunt, ut videtur, ita ut hoc conjunctum monachorum Corbeiensium et Remberti studium illos convertendi, nec magno effectu gavisum esse constet. Cur hoc ita sit, nemo adest, quem melius interrogare possimus, quam Helmoldus, qui et ipse Slavos tam bene novit, et magno suo periculo in conversione illorum sedulus fuit; tradit ille 2): "non caret admiratione, quod dignissimi præsules et evangelii prædicatores, Ansgarius, Rembertus, et sextus in ordine Unni, quorum in conversione gentium ingens claruit studium, Slavorum curam tantopere dissimulaverint, ut nec per se, nec per ministros,

1) Cfr. Saxonem ed. Steph. 321, et Zarachonem in registro bonorum Corbeiensium SS. RR. DD. 1, 526 not. (x): "ob avaritiam et insolentiam villicorum nostrorum a fide defecerunt." Relatio hæc non pro alio sumenda, quam quod ipsa præ se ferat, pro antiqua traditione, et quidem fortasse ex studio illo etymologico orta, cui tot reges et gentes et in nostra historia et aliorum originem debeant. Ideæ de Swantewito nimis erant distinctæ, nimis per totam Slaviam, non Balticam solum, verum etiam Russicam, Bohemicam dissipatæ, quam quæ occasione tam levi ortæ essent (Karamsin russische Geschichte 1, 68). Præterea antiquior erat, ut videtur, cultus Swantewiti, saltem apud Bohemos, quam martyrium sancti Viti (cfr. Ingemann Grundtræk af en nordslavisk Gudelære, 8).

2) Pag. 21.

aliquem iam nisi fructum fecisse ingentem. Effecit hoc, ut mirante populi hujus incredibilis duritia, non autem prædicatorum torpor, quibus minimus circa vocationem gentium adeo fuit affectus, ut nec opibus, nec vitæ pepercerint". Et fortasse addendum huic est, quod Münterus [1]) suspicatur, et quod ex eadem prodit immaturitate populi hujus, qui conjunctione demum cum Germanis, eo usque reductus est, ut novas perciperet ideas: sacerdotes scilicet Slavorum magis sedulos fuisse in antiquis gentis suæ moribus et religione defendendis, quam sacerdotes Danorum, Svecorumque. "Flaminem non minus se regem venerantur," dicit Helmoldus [2]), et quantum nos illos novimus, peculiaris erat sacerdotum ordo, dignitate non minus ac scientiis, a ceteris ordinibus distinctus (pæne ut Druidæ Gallorum) qui maxima inter plebem potestate gavisus est, cui ergo ad auctoritatem servandam vetere religione omnino opus erat [3]). Apud Scandinavos vero quam longe aliter hæc?

Dum nunc ad illa transgredimur, quæ Rembertus in tertia gentilium provincia, sibi credita, in Svecia, egerit, prima oritur quæstio, quomodo

---

1) Kirchengeſchichte 1, 283.

2) Pag. 22.

3) Karamsins ruſſ. Geſch. 1, 79.

res, se [illegible] Svetica et regni Svecorum: Ut Danos invenimus regionibus occidentalibus ad mare Germanicum bella inferentes, et prædam ibi facientes, ita Svecos constat, quamquam consilio non ab omnibus illis occidentalibus expeditionibus alienos [1]), inprimis orientalibus ad mare Balticum incubuisse; ad quos quoque situs patriæ, inprimis insularum Ölandiæ atque Gothlandiæ, quæ semper refugio fuerunt piratis, invitavit. Ex annalibus Russorum, collatis cum relationibus Francorum et septentrionalium veteribus, Lagerbring et post illum Karamsin [2]) monstrarunt, Varegos illos, qui, a Russis invitati, imperium occuparunt totius regni Russici fere medio seculo nono ex Svecia egressos esse; et ex ipsis fontibus septentrionalibus, non minus ac aliunde [3]), constat, Svecos etiam alias maris baltici regiones petiisse. Ac non prædandi solum causa ita peregrinarunt, sed emendi et vendendi; quæ duplex causa itineris faciendi sæpe in uno homine conjuncta erat [4]). Peregrinatores jam domum redeuntes notitiam, sæpe amorem quoque rerum Christianarum et multos captivos Christia-

---

1) SS. RR. DD. 5, 49.

2) Karamsin ruſſ. Geſch. 1, 37—44.

3) Cfr. ita SS. RR. DD. 1, 478 de expeditione bellica adversus Curlandos.

4) Ita Snorro ed. Holm. 1, 255 de Thorero Klakka.

nos secum ducebant¹). Ita jam Ansgario prae-parata erat nunciatio evangelii.

De regibus jam antea observavimus, non eandem auctoritatem penes illos fuisse videri, ac penes Danicos. Adamus²) ita sermonem de illis profert: "reges habent ex genere antiquos, quorum tamen vis pendet in populi sententia; quod in commune laudaverint omnes, illum confirmare oportet, nisi ejus decretum potius videatur, quod aliquando sequantur inviti. Itaque domi pares esse gaudent. In proelium euntes, omnem praebent obedientiam regi, vel ei, qui doctior caeteris a rege praefertur:" et relationes Islandorum³), atque ac vita Ansgariana⁴) minorem fuisse potestatem regalem monstrant. Quamquam enim aristocratismus Svecicus demum seculis posterioribus originem suam debet, aderat jam tunc in

¹) Teste Celsio (Kyrkohistoria 1, 188) vetus auctor, legi Gothorum adnixus, loquitur de mercatoribus, qui in terris Christianis mores assumpserunt Christianos, et sacerdotes domum duxerunt. SS. RR. DD. 1, 448 haec habet: "multi apud eos captivi habebantur Christiani, qui gaudebant, jam tandem se mysteriis divinis participare posse."

²) Ad. Br. ed. Maderi pag. 150.

³) Ita Snorronis (ed. Holm. 2, 113) de Thorgny Lagmand.

⁴) Cfr. SS. RR. DD. 1, 475: "sic quippe apud eos moris est, ut quodcunque negotium publicum magis in populi unanima voluntate, quam in regia consistat potestate."

Svecia, ut in cæteris regionibus septentrionalibus, cohors ducum, comitum et regulorum, et, quod maxime reges coercuit, auctoritas populi, qui certis diebus ad comitia provincialia et generalia[1] conveniens, sententiam suam de legibus et republica gubernanda proponebat. — Talis conditio fuit rerum Svecicarum his nostris temporibus, quibus cæterum reges bello interno et cum Norvegis impliciti erant. Ericus enim Emundi filius, rex fortis et bellicosissimus, qui, testante Snorrone in oratione a Thorgny Lagmand habita[2]), Finlandiam, Careliam, Estlandiam, Curlandiam, plures in oriente sitas regiones armis subegit; idem, quod suspicatur Lagerbring[3]), Norlandiam sibi tributariam fecit, et cum Norvegia varia gessit bella de Vermelandia[4]), quæ provincia, ut videtur, quum reges ex familia Ynglingorum regnum obtinerent Norvegicum, unacum his in possessionem cesserat Norvegorum. Ut vero Islandi referunt de virtute et potestate illius, quam Sveci dicuntur tanquam primam in regnis septentrionalibus laudasse[5]), ita specialiora quædam addunt

1) Ita "allra Svia thing" apud Snorronem.

2) Snorro 2, 113 ed. Holm.

3) Svea Rikes hist. 1, 162.

4) Snorro 1, 89.

5) Müllers Sagabibliothek 3, 183.

de cultu ejus idolorum ¹). Relatio erronea tradit, illum Ingerdam, principissam Norvegicam, in matrimonium duxisse, et hanc a Svecis pro Dea habitam, a fratre Norvegico Halfdano ex Svecia ablatam esse. Verisimilior vero alius rumor est de genio Lytr, cui Ericus immolabat. Narratur enim quondam rex, curru vectus, ad locum venisse sacrificii; mos jam erat currum ibi noctu relinquere, ut Deus Lytr mane sedem suam in illo teneret. Nunc vero regi nunciabatur, Lytrum non venturum esse; quocirca rex sacrificia adduxit, et tandem tertia nocte Lytrus venit; ad quem in domum advenientem rex accessit cum cornu, et, se hoc in honorem genii exhausturum spopondit, et magna dona daturum, si Lytrus secum in itinere, quod suis proposuisset, staret. Tandem genius hoc pollicitus est, et, quum viri regis iter inciperent, ante se navem cum velis nigris at sine hominibus conspexerunt. Erico anno 885, quum per decem annos Haraldus pulchricomes solus regnum teneret Norvegiæ ²), mortuo, successit Björn, filius Erici, qui, licet animo magis quieto, cum honore tamen throno insedit paterno per longam annorum seriem. Hi reges summi erant, et, quoniam Birca residebant,

¹) Müllers Sagabibliothek 3, 153—158.

²) Snorro 1, 107.

ad nos maxime pertinent; ex innumeris vero regulis nullos cognovimus, quorum etiam fere omnia nomina temporum injuria perierunt.

Quando nunc tempus quærimus, quo pauca illa de Remberto tradita trahenda sint, ex relationibus Svecorum nullum invenire possumus idoneum, quoniam totum rumoribus bellorum et expeditionibus bellicis impletum erat. Si vero ad illa, quæ initio hujus capitis disputavimus, respicimus, post annum 876 Rembertum eo venisse, non probabile est; accuratius tempus statuere nequimus. — Celsius quidem [1]) putat, hoc non ante 871 mensem Novembrem, quo tempore bullam Hadriani papæ acciperet Rembertus [2]), accidisse, tunc enim demum veniam illi inter gentiles prædicandi impertitam esse; verum auctor ille Svecicus non satis accurate neque privilegia lustravit antecedentium paparum, quæ et Ansgario et successoribus hanc libertatem concedunt, neque Adamum Bremensem [3]), qui expressis verbis idem testatur. — Si, quod antea probabile facere studuimus, Rembertus vitam scripsit Ansgarii eodem

---

[1] Kyrkohistoria 1, 352.

[2]) Staphorst 1, 67.

[3]) 1, XXVII: "idem papa Nicolaus tam ipsum Ansgarium, quam successores ejus legatos et vicarios apostolicæ sedis constituit in omnibus gentibus Danorum, Sveonum, et Slavorum, quod et antea Gregorius papa concessit."

tempore, quo hunc inter sanctos adscriberet, ergo ante mortem Nicolai 1, 867, Rembertum Danum scimus tunc fuisse episcopum Sveciæ, et omnia ibi prospere fluxisse [1]. Fortasse jam tunc Rembertus illum adiit, et eo referendum est iter Svecicum, de quo auctor vitæ Rembertianæ fabulatur [2]) scribens, episcopum tempestatem maris precibus suis sedasse: præterea ex conjectura Langebekkiana [3]) videtur sæpius in Sveciam navigasse. — Quid vero ibi egerit, non nobis ita reservatum est; num regem Sveciæ baptizaverit, quod narrat auctor anonymus [4]), disputari quidem potest, verisimillimum tamen est, solummodo non ad Ericum, Emundi filium, sed ad unum ex regulis respiciamus [5]). Auctor idem anonymus porro tradit, illum totum regnum in fide Christiana soli-

---

1) SS. RR. DD. 1, 484.

2) SS. RR. DD. 2. 141.

3) SS. RR. DD. 2, 141 not. (t) cum 2, 130 collata: "quæ discrimina (sc. itinera super mare ad ecclesias inter paganos, qui non alii esse possunt, ac Sveci) ipse frequentius et abundantius sustinens, sæpe naufragium pertulit, sæpe in eo erat, ut dicere posset, nocte et die in profundo maris fui;" cfr. quoque Adamum Bremensem 1, L.

4) SS. RR. DD. 1, 367.

5) Ingonem illum non fuisse, quippe qui regnum tenebat circa annum 900, Celsius 1, 353 monstravit contra Messenium.

dasse; quod, quamquam Celsius ei adversatur [1]), nobis non improbabile videtur, si modo verba ista non premimus; quum enim Birca tunc temporis urbs esset, ad quam, quod ex vita Ansgariana et aliunde constat, multitudo Svecorum confluerct, emendi et vendendi causa, nihil obstat, quominus religio Christiana, ibi a Remberto et adjutoribus concionata, per totam circumferretur Sveciam, ita ut Christiani omnes in fide consolidarentur, novi fidem sumerent. Utrum Rembertus ad interiores Svecorum regiones penetraverit, an minus, nil huic quæstioni ex fontibus respondere possumus, parum vero probabile videtur secundum ea, quæ de statu Sveciæ disputavimus; æque improbabile ac novas ibi exstructas esse ecclesias. Episcopos illum ordinasse, si opus esset talibus, rationes antea allatæ [2]) nobis statuere suadent. Ad annum 894 [3]) Adalwartum quendam, monachum Corbeiensem, episcopum Sveciæ, invenimus multos in religionem Christianam convertentem; qui monachus ergo vel a Remberto, vel ab Adalgario, ejus successore, emissus fuerit, potius tamen ab illo priori, quum Adalgarius ex testimonio Adami Bremensis [4]) non ordinaret

---

[1]) Kyrkohistoria 1, 353.
[2]) Cfr. in disquisitione de Dania.
[3]) Leibnitzii SS. BrBr. 2, 289.
[4]) 1, XLII.

episcopos, Chronicon Corbeiense[1]) Hermannum et Meinhardum tanquam apostolos Sveonum nominat. Tandem annales Corbeienses ad annum 884[2]) Selatium commemorant, ad Normannos missum, sine dubio a Remberto nostro, utrum vero in Daniam an Sveciam, dignoscere nequimus.

Quamquam hæc admodum manca sunt, relationem tamen nobis ferunt de Remberto, etiam in his remotissimis provinciæ partibus sedulissimo verbi divini nuncio.

His jam, ut in disquisitione de Dania, universaliora nonnulla adnectimus, ut clarius fiat, quomodo Sveci Christianam reciperent religionem. Studium illud, quo, certiores facti de nunciatione novæ religionis haud procul a finibus suis, mox sacerdotes a rege Germanico peterent[3]), quo doctrinam ab Ansgario illis traditam reciperent[4]), quo tandem, quum Ansgarius secunda vice Sveciam adiret, libertatem illi darent, evangelium ubicunque nunciandi[5]), non potest, quin admirationem nostram commoveat, quum primo obtutu omnino non, neque cum longo illo tempore, quod effluxit, antequam Svecia re-

1) Wedekind 1, 385.

2) Leibnitzii SS. BrBr. 2, 298.

3) SS. RR. DD. 1, 442.

4) SS. RR. DD. 1, 445 sqq.

5) SS. RR. DD. 1, 473 sqq.

vera conversa est, neque cum relationibus Deorum Islandorum, et existentia de genere idololatriae illorum cohaerere videatur. Quando vero rem diligentius inspexerimus, omnia optime conjungi posse apparebit.

Non in conditione naturali regni Sueciae, cujus tractus montuosi incolas dispersos inter se habitare cogunt, ratio quaerenda est, cur tamdiu religio ethnica ibi remanserit, quum e contrario Islandi exemplum nobis praebeant, quomodo homines, montibus et mari alter ab altero sejuncti, mox eo deferantur ut religionem novam recipiant. In animo populi, in conditione naturali hominum ratio ultro se nobis offert. Suevi enim ob indolem melancholicam cogitationibus de rebus religiosis, et fuerunt, et etiamnum sunt magis dediti, quam ulla alia natio inter septentrionales. Quae quum ita sint, et quum ea quoque sit conditio illorum, ut viriliter unusquisque sententiam suam tueatur atque vindicet, necesse erat, ut magni motus de rebus religiosis non minus ac civilibus inter illos orirentur. Idcirco jam temporibus paganismi multa loquuntur relationes veterum de sacrificiis strenuis Svecorum, ita regia Atislae[1]) ad Upsalam; idcirco templum hoc celeberrimum fuit per totam septentrionem; idcirco specialiora

[1]) Snorro 1, 42.

quoque narratur de ritibus illorum religiosis [1]; idcirco regnum Svecicum jam tunc indolem præ se fert mysteriosam et religiosam. Idcirco quoque tam avide nunciatores novæ religionis multi Sveci receperunt, ita ut, secundum narrationes Remberti, aspiratio religiosa major in Svecia fuisse appareat, quam in Dania; sed idcirco quoque vehementius ethnici contra illos surrexerunt, et persecutiones, de quibus jam Rembertus loquitur, ortæ sunt contra Christianos; idcirco tandem multi Sveci tamdiu veterem retinuerunt religionem, ut Svecia, regnorum borealium ultima, Christianismo tota se traderet.

At hæc hactenus; et monstratum nunc speramus, quantum certe ex fontibus paucis fieri potuit, Rembertum, quod in ipso erat, ad conversionem gentilium contribuisse, et verum esse nomen gloriosum illi ab Isibordo de Amelunxen [2] injunctum, nomen scilicet apostoli Danorum, Svecorum, Slavorumque.

---

[1]) De ættastapi cfr. Fornaldar sögur 3, de vacca regis Eisteni Snorronem in Ynglingasaga, de deastro Freyr specialiora quædam Mülleri Sagabibliothek 3, 267 sqq.

[2]) Molleri Cimbria litt. 3, 604.

De Remberto post annum 876, morte ejus et scriptis.

Regnum, quod animi magnitudine Carolus fundaverat, et rexerat, magis, magisque defecit. Ludovico secundo 876 mortuo, filii successerunt Carolus, Carlomannus, Ludovicus; qua partitione, sub regibus nullo modo optimis infirmius etiam factum est regnum Germanorum; nec ob dissidia interna et bella externa locus erat, fortasse ne studium quidem regibus novis, missioni septentrionali auxilium ferendi. Eodem tempore Normanni, ut antea monuimus, ipsam provinciam Saxoniæ aggressi sunt, Rembertus debilior factus, Adalgarium sibi sumpsit adjutorem, qui in episcopatu circumiret, placita adiret, in expeditionem bellicam, in palatium regum sua vice proficisceretur. Hinc ergo novam incipimus periodum, non æque ad externa prosperam; et, quum probabile sit, Rembertum per hanc annorum seriem, gubernationi inprimis internæ operam dedisse, ab hac describenda exordium facimus.

Quod jam ex antecedentibus necessario sequeretur, etiamsi nusquam commemoratum esset, Rembertum scilicet sedulum fuisse prædicatorem verbi divini in ipsa dioecesi, vita Rembertiana persequitur, tradens [1]): "juxta admonitionem beati Gre-

1) SS. RR. DD. 2, 137.

gorii etiam eleemosynam, verbi incessanter agens, doctrinæ salutaris studio jugiter instabat, recolens, quod idem ait doctor, plus esse, ut verbi pabulo victura in perpetuum mens reficiatur, quam venter moriturae carnis pane terreno satietur. Hujus rei gratia, excerptum, legentibus utile, de libris sancti Gregorii fecit, et propria manu conscripsit, epistolasque nonnullas, ædificationis plenas, ad diversos composuit." Quantam vim hæc e libris Gregorii excerpta, in totam cogitandi rationem Remberti exercuerint, constat ex illis locis in vita Ansgariana, ubi citata nobis occurrunt [1]). Onus illis temporibus, ubi res non eo modo, quo nunc, dispositæ erant, episcopis inprimis injunctum, cura erat pauperum [2]), et quamquam, quod dicit Adamus Bremensis [3]), "Hammaburgensis cathedræ præcipuam egit curam, tam fratribus, quam pauperibus oportuna ministrans solatia," nullo modo tamen alias neglexit partes episcopatus. "Erat etiam, inquit biographus [4]), pro indignantium levamine hospitale [5]) constitutum in

[1]) Ita SS. RS. DD. 1, 489.

[2]) In qua Ansgarii secutus est exemplum. SS. RR DD. 1, 486.

[3]) 1, XXXVII.

[4]) SS. RR. DD. 2, 137.

[5]) Bremense scilicet, ab Ansgario conditum cfr. Ad. Br. XXXVIII, postea in collegium canonicorum mutatum

episcopatu ejus, ad quod tanta subsidiorum sufficientia deputata est, ut nusquam copiosius vel sapientius hoc ipsum procuratum esse sciamus." Chronicon vero anonymum [1]): "breviter, inquit, tanquam catholicus pontifex omnibus virtutibus claruit, præcipue in defensione cleri sui."

Neque usquam talis cura magis opus erat, quam isto tempore, et in istis oris, ubi jam tunc Normanni naves appellere et prædari inceperant, ita ut episcopus ipse, senectute et morbo confectus, contra illos prodire cogeretur, ne omnem animum subditi ejus amitterent. Ad annum enim 880 annales Fuldenses [2]) referunt: "In Saxonia cum Normannis infeliciter est dimicatum; nam Normanni superiores existentes duos episcopos, quorum ista sunt nomina, Thiotrih et Marcvart, et duodecim comites, Brun ducem et fratrem reginæ, et alios duces, præterea 18 satellites regios

---

cfr. Act. SS. Febr. 403 & 563. Annotationes Philippi Cæsaris (Staphorst Kirchengesch. 1, 263) hæc habent: "hospitale ejus adhuc Bremæ extra portam orientalem in suburbio exstat: quod quia et lapideum est, et vetustate ruinosum, perpetua refectione indigens, putarem, illud ipsum esse, quod sanctus Rembertus olim construxerit: sed non videntur tam copiosi jam illius hospitalis reditus esse, atque describuntur."

[1]) Lindenbrog 72.

[2]) Du Chesne 2, 572, cfr. annales Bertinianos Du Chesne 3, 259 ad eundem annum; Ditmarum, Leibnitz 1, 338, qui diem quoque addit. IV non. Febr.

cum suis hominibus prostraverunt, exceptis innumerabilibus, quos in captivitatem duxerunt. Extant de eodem proelio legendæ, scriptæ seculo 13[1]), ex quibus redundare videtur, locum pugnæ fuisse ad Ebbekestorpium, haud procul Luneburgo[2]), ubi etiamnum multi monstrantur tumuli ethnici, quos Jarl-Berge (ex Jarl lingvæ veteris septentrionalis, comitem significante) incolæ nuncupant; sed quum relationes ceteræ locum non nominent, et inundatio fluminis initio Februarii, qua excercitus Germanorum disperiit[3]), ad Albim nos revocet, probabilior fortasse sententia Wedekindi est, Hamburgum fuisse locum pugnæ[4]). Illæ vero legendæ pugnam Harucho, principi cuidam Slavorum attribuunt, et Rembertum ibi mortuum, Hamburgum eversum esse narrant, quocirca diligentiore cogimur crisi relationes illorum perlustrare. In universum, quod per se patet ob apparitiones angelorum, papam Benedictum tunc temporis Hamburgi commorantem[5]), Rembertum, qui anno 888 placide diem obiit supremum, ibi

---

[1]) Act. SS. ad Febr. 309; impressæ inveniuntur SS. RR. DD. 2, 57—71.

[2]) SS. RR. DD. 2, 60.

[3]) Witichindi annales (Meibom. 1, 634); Ditmari chronicon, Leibnitz, 1, 335.

[4]) Noten 1, 296 sqq.

[5]) Cfr. SS. RR. DD. 2, 61 not. m).

occisum, et totam narrationis tenorem, nulla fides his habenda est, nonne vero specialiora quædam, si cum relationibus aliorum conferentur, in nostrum usum convertenda essent? — Quæritur primum, utrum Rembertus ibi adfuerit, necne; et quoniam in vetustioribus et certioribus narrationibus nusquam vestigium hujus occurrit, multis dubiis locus ille hoc referens chronici Mindensis, seculo 15 scripto [1]), objectus esse non nequit. Calvöri vero sententia, quæ Rabbodum, Hamburgo ob Normannorum furorem ejectum, in Davantriam dicit venisse, et tunc cladem Ebbekestorpiensem 878 secutam esse, quam Staphorstius affert [2]), et de Remberto explicat, non est, nisi relatio Adami Bremensis [3]) male intellecta; ad nos ergo non pertinet [4]).

---

[1]) Meibom. 1, 557: "Theodoricus episcopus cum Dudone episcopo Paderbornensi, Dragone Osnabrugensi, Ansfredo Trajectensi, Ramberto Hamburgensi et Erlulfo Verdensi episcopis, cum tribus ducibus et XIII comitibus, multisque aliis fidelibus juxta Ebbekestorpe in acie pro fidei et patriæ defensione stans imperterritus, et, Deo permittente, in bello occumbens, coelos petivit sangvine laureatus."

[2]) 1, 68.

[3]) 1, XXXIV "setus Rabbodus episcopus, urbis (Trajecti) cedens, Davantriæ sedem constituit."

[4]) Münter Kirch. Gesch. 1, 333 non omni fide illam privare videtur, sed in hoc sine dubio erravit vir illustrissimus.

Sermonem porro proferunt legendæ de Haruche, principe Slavorum, qui toti huic expeditioni præfuit; at hic monendum, vetustiores relationes de Normannis, non de Slavis loquutas esse, et Slavos ergo, si adfuerint, quod certe negare nequimus, quoniam aliis quoque Dani cum illis conjuncti Saxoniam vastarunt[1], non nisi secundum tenuisse locum; probabile ergo fit, Haruchum[2] illum, ut nomen indicare videtur, non Slavum sed Normannum fuisse; jam ex fontibus Danicis[3] patet, rumorem fuisse de Erico juniore, Brun ducem et 12 comites occidente, Saxoniam vastante, qui attentiores nos faciat, necesse est. — Incipiamus jam narrationem legendæ: fuit princeps quidam, Haruch, inter Slavos, dominus castrorum Hamburgensium; cujus uxor, Herina, Mariam virginem sine virili semine concepisse et peperisse, et post partum virginem permansisse, nullo modo credidit, immo etiam

---

1) Ita Ad. Br. 1, XLVIII.

2) In alia legenda nomen "Baruth" scribitur. Probabilius vero est, monachum, cui simile nomen ex sacra scriptura innotuit, "Haruch" in "Baruth" mutasse, quam vice versa.

3) Cfr. chronicon Erici SS. RR. DD. 1, 157, ubi additur: "plures urbes cum civibus, episcopi cum grege truncati sunt, ecclesiæ cum fidelibus incensæ sunt. Theodoricus et Narwardus episcopi truncati sunt." Petri Olai chronicon SS. RR. DD. 1, 114.

illusit. Tum accidit poena divina, ut illa foetum suum per duos annos in utero gestando, atque tandem, disrupto utero, matre mortua, foetus prosiluit, filius monstruosus ex ursa, vitulo, asino, homine compositus, et coram patre et multis adstantibus: "ad salutem, inquit, hominis, et ad angelorum gloriam, Jesus Christus, filius Dei, singularem humanae conditionis assumpsit formulam. Maria, ante thorum nesciens, virginitatis lilium, virgo peperit, sicut sidus radium"; et, his dictis, exspiravit. Harechus vero, magicis artibus Christianorum hoc factum esse suspicatus, in illos saevire coepit, etc.[1]). Quamquam in his verum tenere haud facile est, quum monstrum illud ex utero prodeat, et, Mariam virginem salutans, ex vita egrediatur, nil tamen obstat, quominus rem in universum veram esse arbitremur. Feminam ethnicam conceptionem Mariae illudere, nil a moribus septentrionalium alienum in se habet; atque verisimile est, regem Daniae subito morte uxoris, quam Christianorum artibus adscriberet, iratum, in Christianos irruisse. Harechus nomen illius, optime ad Danicum "Härekr" referri potest; et, etiamsi nil cum uxoris nomine Herina, sive Herma congruum apud septentrionales inveniamus, hoc licet male a legendis scriptum sta-

---

1) SS. RR. DD. 4, 59—60.

tatem), quod de ipso nomine principis, in vita legenda Brunthi scripto, constat. At si, quod satis nobis verisimillimum visum est, Hericus junior 873 mortuus sit, haec non de Herico juniore, quod chronicon Erici vult, sed de tertio cum Suhmio[1]) et Müntero[2]) narrata esse statuimus; unde ergo animus ejus, Christianis inimicus et expeditio hostilis in Brunonem ducem, adpareat. — Restat nunc ultima quaestio, num Hamburgum, quod refert legenda, tunc eversum sit, et quatenus Saxonia vastata sit, quorum prius, tacentibus testibus certioribus, negandum, alterum vero in universum probandum est. Adamo Bremensi ipso[3]), "tunc Saxoniam a Danis vastatam esse," traditur. Haud vero diu ista vastatio et praepotentia Normannorum Slavorumque duravit: Otto, dux Saxoniae, fratre Brunone prudentior, a clade Ebbekestorpiana Saxones collegit ad arma, eodemque anno, ultus fratris necem, Normannos, proelio victos, prostravit, et ultra Albim in sedes suas rejecit[4]).

Rembertus interea episcopatum suum ex alia parte invenit infestatum, in Frisia nimirum, cujus pars ter-

---

[1]) Historie af Danmark 2, 347.

[2]) Kirchengesch. 1, 332.

[3]) 1, XXXIV.

[4]) Schatenii annales Paderbornenses 1, 187.

tie, 7 pagi, ad episcopatum Bremensem pertinebant[1]). At de hoc Adamum audiemus, qui, quod biographus Remberti omisit, his fere verbis, ex scriptis Bovonis, abbatis Corbeiensis petitis, persequitur[2]): "Cum modernis temporibus gravis barbarorum irruptio in omni pæne Francorum regno immaniter debaccharetur, contigit etiam eos divino judicio ad quendam Frisiæ pagum devolvi, qui in remotis, ac mari magno vicinis locis situs est; Nordwide[3]) hunc appellant, quem subvertere aggressi sunt. Erat enim illic eo tempore venerabilis episcopus Rembertus[4]), cujus adhortationibus et doctrinis confortati et instructi Christiani cum hostibus sunt congressi, et prostraverunt ex iis X millia CCCLXXVII, pluribus insuper, dum fuga præsidium quærunt, in transitu fluviorum necatis". Addit huic Adamus ipse: "cujus rei miraculo usque hodie merita sancti Remberti penes Frisones egregia, et nomen ejus singulari quodam gentis colitur desiderio"; præterea ille et

---

1) Cfr. scholia antiqua post textum in ed. Maderi.

2) 1, XXXV.

3) Hodie Norda, Norden, urbs in Frisia orientali, ad mare. Cimbr. litt. 3, 605.

4) "Ut populum suæ curæ commissum tempore tam difficili præsens consilio juvaret." (Ubbo Emmius a SS. RR. DD. 2, 124 citatus).

auctor anonymus historiæ Bremensis [1]), unquam adfuturis. Hoc verum esse per se patet, licet numerus gentilium haud parvus a verisimili aberret, quamquam tantum non accurate evincere possimus; sufficiet ante 890 non factum esse.

Remberto igitur non eadem sors erat, quæ Ansgario; scheitatem dulcem cum spe læta in futurum agendi; e contrario tristior et deterior factus est status archiepiscopatus, et relatio illum inter et gentiles. In Svecia solummodo omnia melius fluxisse videntur, verum in Slavia et Dania pejus. Harecus [2]), qui etiam ex conjectura Münteri et Schmidt [3]), 882 ad Rhenum plures urbes aggressus crudeliter tractavit, sine dubio, quod extra regnum in Christianos odium, idem in regno exhibuit. Præterea fortasse jam tempore ultimo Remberti Gormo grandævus, qui, licet uxor ejus Thyra Christiana esset, nunquam se amicum Christianis monstravit, regnum totum Danicum sibi subjicere cœpit. Cæterum ex istis

[1]) Lindenbrog 71.

[2]) Num ille sit Ericus, rex Jutiæ, cujus filia Ragnhilda Haraldo Haarfager regi Norvegico nupsit, quod Suhmius (Kritisk Hist. 3, 770) putat; nos, quoniam Snorro expresse "Ericus" scribit et noster "Harecus" nominatur, asserere nequimus.

[3]) Kirchen-Gesch. 1, 334. Hist. 2, 385.

temporibus testimonium nobis asservatum est 1), non tam fidei, quam superstitionis tradens, Danos ex Anglia 878 reliquias sancti Albani, patroni Anglorum, secum duxisse. — Slavi, quod antea jam probavimus, circa hos annos a fide deficientes, idola sibi pro Christo elegerunt, et forsan Arnulphus solus, qui ultimo Remberti anno regnum Germaniae obtinuit, fortitudine sua, laetiorem aperuit episcopo nostro aspectum in venturum; saltem pollicitus est, ut Saxonia a vastatione Danorum, Slavorumque liberabetur.

Ita ad morbum venimus et mortem Remberti. "Anno paene integro ante obitus sui diem, inquit biographus 2), quibusdam fidelibus suis secretius intimavit, multa sibi ostensa fuisse signa, quibus praesciret, se in hac vita non diu mansurum, et quod eos, quibus haec loquebatur, in hac vita ultra non esset visurus. Quaedam, inquit, hujus rei praesagia mihi venerunt, quae modo non licet aliis indicare; visionem tamen hac nocte mihi ostensam vobis refero, quia evidentissime discessum meum praefiguratum esse intelligo. Videbatur enim mihi, quod in ecclesia quadam, muro firmissimo per medium intersepta, ego ex una parte muri fuissem, ex altera vero teneretur

1) Suhmii Histoire 2, 358.

2) SS. RR. DD. 2, 145.

Dominus et doctor meus, Ansgarius, idemque qui innumerabilem turbam utriusque sexus more quaerentibus aliquid, capillis ipse convertit, nec quibusquam ex eo, quod quaerebant, potuisset invenire: quibus Dominus Ansgarius, quid, inquit, quaeritis? At illi, se nihilum meum quaesisse respondentes, audierunt puerum ab episcopo, et cessarent eum quaerere, quoniam ipse bene inventus esset, illis abiturus. Haec dum quibusdam, ut diximus, narraret illorum Rembertus, ex hoc multisque aliis indiciis intellexit, ac lessen certificatum, quod eodem anno de hac vita foret exiturus. Postea valedicens illis, discessit ab eis, nec ulterius, ut ipse praedixit, eum viderunt.

Restabat nunc sola cura, ne ecclesia sua dilecta inter gentiles et Saxones debilitari, utendo praesule, quam qui temporis tam periculosi par esset: inde cura de electione successoris. Mirandum sane est, Rembertum, cui semper in aliis exemplum Ansgarii erat, quod sequeretur, hic tantum ab illo diversum fuisse, ut dum Ansgarius, modestia nimia ductus, nullo modo successorem sibi designare vellet, discipulus ejus non successorem solum designaret, verum etiam per magistratum ecclesiae et regni obtineret, ut haec designatio confirmaretur; sed ex tota disquisitione praecedenti de indole Remberti concludere licet, hoc non sine necessitate urgente factum esse, quam

aliquando ex partibus relationibus [illegible] loca poenitentiae. Fortunae Rembertus, cujus electio tunc, non tanquam Adalgarii, quum ille mortis appropinquaret, floruit, immo potius debilitatem [illegible] de futuro [illegible] [illegible]; [illegible] alia alterant causae. Hoc [illegible], [illegible] obtinuit, ut electio Adalgarii confirmaretur, ut [illegible] regis adscriberetur, et inter [illegible] ejus ponerentur, assentientibus abbate, et fratribus [illegible] ejus, ac sancta synodo hoc omnino roborante," ut addit biographus[1]; Langebekius et Mastricus[2]) [illegible] synodum Moguntiacensem illam fuisse, tempore anni 888 habitam, suspicantur, ubi Adalgarius consecraretur[3]); sed sine dubio errarunt viri illustrissimi, in verbis enim biographi nulla mentio fit de consecratione Adalgarii, patet praeterea synodum, de qua hic tradit, vivente etiamnum Remberto habitam esse, Rembertus vero die 11 Junii diem obiit supremum.

"Post haec etiam, videt expeditior in negotiis secularibus, pergit biographus, [illegible] quotidie amplius satagebat, quidquid boni poterat exercuit, nec postea diu in hac vita duravit. Duodecim annis ante transitum suum perveniens ad

---

1) SS. RR. DD. 2, 143.

2) SS. RR. DD. 2, 143 et Kirchengesch. 1, 340.

3) Cfr. Ad. Br. 1, XXXIX.

ecclesiam Bremensem 1), ipse mox die infirmitate correptus est, cumque per quatuor horas infirmitas graviter crevisset, ipse semper psalmodiis et lectionibus sacris intentus, se ad futurum de hac vita transitum sollicite praeparabat. Et quamquam, hoc vero, immanitas corporeis viribus defunctum ingeneret, animo tamen semper invictus apostolicam praetendebat fortitudinem, de qua dicit, quando infirmor, tunc potens sum. Septimo ante obitum die, ministerium sacrae unctionis cum oleo sancto ei fieri rogavit, et unacum communione corporis et sanguinis Domini usque in diem animae exeuntis de corpore hoc salutare remedium omni die percepit. Et quum jam migraturus esset de mundo, convocatis presbyteris et universis fratribus, veniam petivit de omnibus, quaecumque fortassis in aliquem illorum peccasset. Et quum ipse vicissim reconciliationem fecisset omnibus Christianis, a quocunque in eum aliquid commissum fuisset, veniamque eis a Domino poposcisset, percepto corpore et sanguine Domini, sacram emisit animam 2)", anno 65, vel quod aliquantum excedit, natus. Tum incredibilis gemitus omnium subsecutus est, maxime pauperum,

1) Unde non improbabile fit, quod Münter 1, 341 suspicatur, illum ecclesias ceteras visitasse.

2) SS. RR. DD. 2, 441.

et pergit ita biographus enarrare suspicio alterum, unde satis nobis liquet, quam illis fuerit illorum. Annum emortualem Adamus 888 nominat, et celebrationem depositionis ad 11 kalendas Junii refert, qui dies quoque sine dubio verus est natalitius, quoniam illum celebrat, cui dedicata erat, ecclesia Hamburgensis [1]).

Ipse, dum etiamnum vixit, humilitate ductus, ne in ecclesia sepeliretur, praecepit, quod praeceptum transgredi non ausi fratres ecclesiae foris basilicam illum sepelierunt, prope tumbam sancti Willehadi, extra murum ecclesiae orientalem, ipsumque sepulchrum postea superstructo, in honorem sancti Michaelis, sanctorumque martyrum Stephani atque Viti dedicato oratorio adornavit Adalgarius, successor ejus [2]). Et cum nos a biographo discedimus, quod [illegible], nil est, nisi interpretatio loci sepulturae mystica et miraculorum. Orationem ecclesiae Raceburgensis ad sanctum Rembertum, unde vero ceterum nil in usum nostrum convertamus, Bollandus et Henschenius nobis asservarunt [3]); item, qui de [illegible]

[1]) 1 XXXVIII, cfr. annales Corb. Leibnitz 2, 299.

[2]) Molleri Cimbr. litt. 3, 606, Staphorst 1, 71.

[3]) SS. RR. DD. 2, 144 & 148 cfr. Ad. Br. 1, XXXVIII.

[4]) Act. SS. 1 ad Febr. 555.

rejus agendi[1]), et mysticam afferunt rationem, cum relationibus biographi[2]) comparandam, cur martyrologia plurima diem 4 Februarii memoriae Remberti dicaverint, quod nimirum intimus erat Ansgarii, ut et ea Ansgarii, quibus Rembertus pollicitus esset, ne in vita futura separarentur, ad hanc quoque vitam, ut celebrationem Apostolorum septentrionalium in ecclesia catholica trahuntur. — Quis Rembertum numero sanctorum adscripserit, non patet; si vero analogiam sequimur ex Ansgario, cui hic honor haud diu post mortem tributus est, si porro ad monumenta ecclesiae catholicae respicimus, et ipsam vitam Rembertianam, quae ante mortem Adalgarii, ut supra demonstravimus, est scripta, illum tanquam sanctum tractare videtur[3]), haud improbabilis fit conjectura Münteriana[4]), hoc jam ab Adalgario successore factum esse.

Quum tota fere vita ejus in negotiis publicis consumeretur, tempus illi non aderat sufficiens scribendi. Ex illis vero, quae scripsit, nulla praeter jam commemorata, vita Ansgarii et epistola ad moniales quasdam nobis asservata sunt.

---

1) Act. SS. 1, 559.

2) SS RR. DD. 2, 148.

3) Ex gr. SS. RR. DD. 2, 141: "fertur etiam antiquorum more sanctorum quaedam fecisse miracula."

4) Kirch. Gesch. 1, 341.

Excerpta plura ex libris octo Gregorii faciens, et epistolas quamplures, instificationis plenas, ad diversos scripsisse, testis est auctor vitae Rembertinae [1]), epistolamque de victoria Nordwicensi ab illo datam ad Luitbertum Moguntinensem, eundem, qui consecrationi ejus adfuit, annales continebant, Fuldensium Pithoeani, quorum auctori in animo fuit hanc describere, sed, sive oblitus hujus fuerit, sive epistola injuria temporum deperierit, nunc non nobis adest [2]). Lutatium, nescio qui ratione ductus, tractatum de eleemosynis illi adscribit [3]), et ex epistola responsoria monachi Carbiensis [4]) discimus, Rembertum litteras illi dedisse.

Jam ad documentum praecipuum indolis non minus Rembertianae, quam Anskarianae, ad vitam Anskarii nos convertimus. Neque doctrina, neque elegantia styli hoc ejus opus aliis ejusdem temporis praestantius est; quid est ergo, quod inter legendum animum nostrum attentum continet? Primum animus auctoris pius, ad coela intentus, pia cura pro conversione gentium, quae ubique

---

[1]) SS. RR. DD. 2, 137.

[2]) Cimbr. litt. 3, 609 SS. RR. DD. 8, 147.

[3]) Cimbr. litt. 3, 610.

[4]) Cimbr. litt. 3, 607; epistola agit de cynocephalis, utrum ex stirpe Adæ sint progeniti, an animas bestiarum habeant.

quæ nobis [illegible] quidquam [illegible] spectu liber postea [illegible] aliis [illegible] diversus est, [illegible] monastica [illegible] ad [illegible] et omnia tenderent, propositi erat. Et his [illegible] prehensionibus, nuper contra illum [illegible] liber rabitur. Krusius enim, biographus Ansgarii, in opusculo suo de Remberto loquitur [1], quum somnia nonnulla Ansgariana, a se relata, [illegible] omnino finxerit, tamen haud parum mutaverit et interpolaverit, imprimis, ut dogmati ecclesiæ catholicæ de igne purgatorio et confessione auriculari apud fratres Corbeiæ veteris, quibus scripsit, firmaret, dum illa homini omni modo tam sapienti quam Ansgario imputaret. Et quidem, si hæc ita se haberent, non contra hæc solum, sed librum totum vitæ Ansgarianæ, immo ipsum Rembertum, qui ad prius somnium ipsissima verba Ansgarii se reddidisse profitetur, multa essent dicenda. Sed, licet vera sint, quæ Krusius tradit, dogmata ista ecclesiæ seculo nono a multis infestata esse; tamen inde non sequitur, neque Ansgarium, neque fratres Corbeienses inter hos fuisse, neque igitur Remberto opus fuisse hæc Ansgario imputare et ita Corbeiensibus intrudere. Quod Remberto soli talia concrediderit nusquam occurrit, quum contra-

[1] Krusii St. Anschar 41—43 & 251—252.

[illegible] hoc [illegible] com-
[illegible], nihil [illegible] quoque [illegible] Rem-
berto [illegible] videtur 2). [illegible]
est [illegible] videre, [illegible] qui
[illegible]
[illegible] multarum [illegible]
[illegible] Sicut enim [illegible] somnia,
quae etiam aliunde nobis cognita sunt, ita ex vita
Rembertiana capite VI. et VII. recipimus, et ad
totum temperamentum Anscharii, quem certe Rem-
bertus non finxit, sed modo fideliter observavit
et tradidit, patet, illa omnino somnia ceteris re-
spondere; [illegible] illi, quod [illegible] valuit, som-
nia nocturna ob phantasiam vividam aderant, et
secundum illorum [illegible], quando ergo ponimus,
quod [illegible] respectu probabile est, Anscharium
multum de his rebus in juventute cogitasse, [illegible]
[illegible], quominus de iisdem somniaverit. — E con-
trario [illegible] haud difficile est, Rembertum
talia fingere, [illegible], neque voluisse, neque
potuisse: non volebat, [illegible] in perceptionem
[illegible] per totam vi-
tam Anscharianam nobis obviam; immo etiam, si
[illegible] Anscharii, quod

1) SS. RR. DD. 1, 451: "revelationes quibusdam nostrum, qui ei familiarius adhaerebant, innotuerat."
2) SS. RR. DD. 1, 401.

cum vitam conscripsit, ut nonnunquam in perhibendis de filiis [illegible], quum ipsa verba Ansgarii post referentis, [illegible] fuerant dolores perceperit: nulla potuisset hominis lingua tam pulchra, [illegible] quod de [illegible] valet, quanta phantasia vividissima, ejusdemque [illegible] sima instructa, [illegible] sunt [illegible] processisse eum, et, ut ita dicam, [illegible]

Fortasse nimii fuimus in eo refutando, sed gratior nobis res visa est. Somnia ergo haec his tam vere habenda sunt, quam illa, quae traditione historica ad posteros aliquando defluxerint.

At non sola somnia, ista ratione psychologica explicari possunt, verum etiam miracula de antecessore suo Rimbertus tradidit. Sunt ut quando recogitaverimus, quantum, ne excellentissimum quidem ab ideis erroneis seculi omnino liberatum esse, et genium istius seculi perspexerimus, non amplius mirabimur, et fatebimur, Rimbertum ista salva conscientia et veritate interna optime tradere potuisse. — Ex contrario mirandum est, et tanquam documentum [illegible] pii et sinceri ejus animi, quod non plura tradiderit, ut amicum suum defunctum honoraret, et potius in omnibus veritatem secutus sit, ne levitatem quidem Ansgarii in pueritia ejus silentio præteriens.

Sed ante oculos illi versatus est Ansgarius

in tota ejus vivendi ratione, quam nobis monstrare vellet, et idcirco illud ortum est, quo saepius in biographiis gaudemus, quod vero rarius subjectum, et [illegible]; cujus vitam describit, [illegible] nobis praebeat, ut imaginem ejus videamus, cum illo vivamus. Cujus exempla narrationes de juventute, de poenitentia, precibus, eleemosynis, morte nominabo. — Tamen per has relationes indolem illius, qui narravit, Remberti, quantum nos certe videmus, cognovimus; quod etiam necessarium erat temporibus illis, quum ratio nondum eo usque exculta esset, ut omnino objectiva fieret narratio. Nam enim ea, quae ex relatione orali Ansgarii partim ipsius verbis narrata, cum sequentibus, quae ex autopsia tradita, omnino cohaerere videntur; in illis acrior, fortior, magis vividus Ansgarius est; in his submissior, tranquillior, magis, ut ita dicam, poenitentia; et quamquam non negandum, cursum temporum aliqua ex parte aliquid diversitatis inter juvenem et senem progenerare potuisse, Remberto tamen sine dubio multum debetur. Qui ne semper quidem sibi constare videtur, quum alias[1]) Ansgarium tanquam severum verbi divini praedicatorem laudet.

[1]) SS. RR. DD. I, 489 & 490.

De indole Remberti; nonnulla postmonenda.

Rembertum ita secuti sumus ex infantia ad senectutem; vidimus illum in schola, in disciplina Ansgarii, tanquam apostolum gentium, tanquam archiepiscopum Bremensem. Sed multitudine relationum, quarum tamen nulla erat negligenda, et crisi, qua semper in his viam nostram munire necesse erat, factum est, ut cogitationes sæpe diu traherentur, ita ut indoles viri fortasse obscurior sit lectori nostro; attamen hæc maximi est momenti, si, quid egerit, vere patet.

Optimum ergo videtur disquisitioni huic brevem adjicere adumbrationem characteristici in homine, quam etiam omnium historiographorum septentrionalium summus, Snorro Sturlæson, etiamsi non ita, ut nos diversis relationibus distractus esset, necessariam esse putavit.

Sed dum hæc aggredimur, non possumus, quin fontes exiguos, unde haurimus, deploremus; non, ut in vita Ansgarii, adsunt notæ characteristicæ, partim passim collectæ, partim per totum librum dispersæ, quæ immediate hominem ante oculos nostros ponunt. Qui plenam optat notitiam de indole Remberti, librum ejus perleget de Ansgario, et plura ibi inveniet, quam quæ nos verbis exprimere valeamus; quippe quæ talia rationem fere fugiant, et sensui soli se patefaciant.

Quum in universum constet, duo esse, quæ animum hominis forment, unum indolem originariam, alterum educationem, ad utrumque hic respiciendum erit; attamen educationem illius, quocum Rembertus a tenera inde pueritia conjunctus per multos annos vixit, plus quam alias ad illum effingendum contribuisse, negare nequimus; et jam ex relatis apparet, ubi illum semper tanquam discipulum Ansgarii spectavimus, et per omnia, quæ dixit et egit, vocem Ansgarii audivimus. Tanquam testimonium hujus firmum afferri possunt, quæ vita Rembertiana *) tradit: "De ea, quæ illi inerat, inflexibilitate animi, a quodam familiarius interrogatus, quæ infra habentur exposuit: quæcunque, inquit, agere debeo, vel omittere, seu de omnibus futuris mihi eventibus, præsagium semper capio ex visionibus domini ac decessoris Ansgarii. Solet enim mihi ipsi apparens in qualitate vultus sui ostendere, qualiter me immiscere debeam rebus agendis, et quicquid de illo sentio, nullam ad hoc exequendum dissimulationem facere possum." Veritatem hujus simul testatur tota vita ejus post mortem Ansgarii; quando enim visione gavisus est nocturna, semper Ansgarius illi aderat, etiam in ultima.

Rembertus jam ex puero magis erat pius

*) SS. RR. DD. 2, 141.

quam Ansgarius, nec illis objectus phantasiae vividioris levitatis atque vanitatis illecebris, nunquam secutus illum, ut antecessorem, eorum spectaculi patiens; unde jam liquet, Rembertum nullo modo ex illis fuisse, qui in omnibus exemplum sibi propositum imitentur: imitatus est Ansgarium, et in missione et in vita tota ecclesiastica, sed nunquam ideo veritatem internam infregit, quocirca in omnibus, quae egerit, vera, tranquilla et pia adest humanitas, nunquam affectati quid, sive arte comparati.

In temperamento ejus naturali melancholicum cum phlegmatico conjunctum apparet, ita tamen ut hoc ultimum praevaleret, cujus documentum ex libro vitae, ubi auctori haec nota characteristica elabitur, peti posse videtur[1]: aliquoties tamen sine ulla ejusdem mansvetudinis detrimento, ita inquirendis vel discutiendis causis constans ac fixus in sua sententia mansit, ut a nemine posset in aliud deflecti. Quod autem diximus, absque mansvetudinis detrimento hoc fieri, tam veraciter in illo adimpletum est, ut nil unquam iracundiae vel commotionis contradicentibus ostenderit, vel verbis asperis contra eos egerit, sed familiaribus colloquiis, et delectabili continentia gestu [illegible]

1) SS. RR. DD. 2, 141.

sit amabiliter executus, quicquid intendebat." Quod vero neque melancholicum in temperamento ejus desideratum sit, monstrare videtur contemplatio illa mortis jam ab adolescentulo instituta.

Constantia ea, phlegmatico propria, sine dubio multum effecit; nec unquam inceptum deseruit, etiamsi obstacula haud pauca contra illud surrexerint. Dum Ansgarius exercitatione diuturna alacritatem nimiam eo usque redegit, ut tranquilliori pareret rationi; ratio ex primordio inde in Remberto, ut fere in omnibus hominibus phlegmaticis multo magis valuisse videtur; quocirca quoque animo miti et tranquillo, ad omnes respiciente, omnia anxie ponderante, ut jam antea observavimus, Ansgarium superavit, et fortasse in descriptione vitae Ansgarianae plura talia Ansgario impertivit, quam revera huic impertienda erant.

Quando jam hæc cum illis, quæ de systemate ejus theologico, de modo ejus verbum inter gentiles nunciandi, dioecesin procurandi, de relatione illum inter et ideas ecclesiasticas, uberius antea proposita sunt, conjunxerimus, imago nobis ante oculos sistetur viri illius, discipuli Ansgarii, huic tam similis et tamen ab illo tam diversi; et cum hac imagine a disquisitione nostra discedimus.

Tamen non, nisi antea epocho, quo Christianæ religionis lux nostris primum affulgeret gentibus, respectu ad subsequentia habito, breviter, spectato. — Quamquam Arnulphus et successores ejus fortudine sua persecutionem Normannorum, ut in toto regno, ita quoque in dioecesi Bremensi aliquantulum infregerunt [1]), attamen ante 934, quo Henricus regem Daniæ debellavit, nihil ab archiepiscopis pro missione gentium factum esse videtur. Ecclesiæ inter gentes, si ad hoc tempus remanserint [2]), certe admodum debiles erant et ob feritatem septentrionalium et negligentiam archiepiscoporum. Fortasse presbyteris nonnullis, parvo impensu sustentatæ sunt [3]); de episcopis enim non cogitandum est ante Adaldagum [4]), et omni respectu relationi huic Adami Bremensis subscribendum: "in tanta excursione barbarorum, christianitas ab Ansgario plantata aliquantulum remansit, non tota defecit."

---

[1]) Ad. Br. 1, XL.

[2]) Fornmanna sögur 11, 408: "Voru þá (sub Unnone) gervar upp kyrkjur, er eydst höfdu i Heidabæ ok Ripum" dicit.

[3]) Ad. Br. 1, XXXIX.

[4]) Ad. Br. 1, LXII.

HAMMERICH, Frederik
De Remberto...

